

238 57-12

DISSE^TRAT^O PHIL^OSOPHICA
INAUGURALIS,
DE
EFFICACIA MIXTIONIS IN MUTANDIS
CORPORUM VOLUMINIBUS,

Q U A M
AUSPICE DEO OPTIMO MAXIMO;

Ex Autoritate Magnifici Re^toris,

D. FRANCISCI VAN OUDENDORP,
HISTORIARUM ET ELOQUENTIÆ PROFESSORIS P. O.

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu;
& Nobilissimæ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS ET MAGISTERII,

Summisque in PHILOSOPHIA & ARTIBUS LIBERALIBUS Honoribus
ac Privilegiis rite & legitime consequendis,

Publico examini subjicit

JOANNES DAVID HAHN,
Heidelberga-Palatinus.

Ad diem 23. Aprilis hora ab 8. ad 10. Loco solito.



*Querendi initium ratio attulit; cum esset ipsa
ratio confirmata querendo.*

Cic. Acad. Quaest. IV. 26.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CONRADUM WISHOFF.
M DCC LI.

ДИАРЕЛЛЯКІО ТІЛІЗОПІХІ
СІАНДАУАРАЛІС
ІН-ІМІДІА
КОМІСІЯ ВОЛІВІНІГЕС

ДІЛАНІСІО ДІЛАНІСІО

ДІЛАНІСІО ДІЛАНІСІО

ДІЛАНІСІО ДІЛАНІСІО

ДІЛАНІСІО ДІЛАНІСІО

ДІЛАНІСІО ДІЛАНІСІО

ДІЛАНІСІО ДІЛАНІСІО

VIRIS.

CELEBERRIMIS. CLARISSIMIS. SUBTILISSIMIS.
NOBILISSIMÆ. FACULTATIS.
CUI. A. PHILOSOPHIA. ET. ARTIBUS. NOMEN. EST.
IN. ACADEMIA. LUGDUNO. BATAVA.

ORNAMENTIS. AC. FIRMAMENTIS.

D. FRANCISCO. VAN. OUDENDORP,
HISTOR. ET. ELOQ. PROFESSORI. P. O.
H. T. RECTORI. MAGNIFICO.

D. PETRO. VAN. MUSSCHENBROEK.

A. L. M. PHILOS. ET. MED. DOCT. PHILOSOPHIÆ.
MATHESEOS. ET. COLLEGII. PHYSICO-EXPERIMENTALIS.
PROFESSORI. P. O. VARIARUM. ACADEMIARUM. SOCIO.

PROMOTORI. SUO. EXOPTATISSIMO.

D. TIBERIO. HEMSTERHUIS.

LING. ET. ANTIQ. GRÆC. UT. ET. HIST. PATR.
PROFESSORI. P. O.

D. JOANNI. LULOF S.

A. L. M. PHILOS. ET. JURIS. UTRIUSQ. DOCT.
PHILOSOPHIÆ. MATHESEOS. ASTRONOMIÆ.
PROFESSORI. P. O.

D. JOANNI. ALLEMAND.

A. L. M. PHILOS. DOCT.
PHILOSOPHIÆ. AC. MATHESEOS.
PROFESSORI. P. O.

N E C . N O N .

VIRO. SPECTATISSIMO.

OMNI. LIBERALI. DOCTRINA. POLITISSIMO.

D. F R E D E R I C O . L U T Z .
SOBRINO. ÆSTIMATISSIMO.

VIRO. PLURIMUM. REVERENDO.

D. CAROLO. C H R I S T . M U L L E R ,
A. L. M. PHILOS. DOCTORI.
VERBI. DIVINI. IN. ECCLESIA. BESSIGHEIMENSI.
INTERPRETI. FIDELISSIMO.

VIRO. EXPERTISSIMO. ACUTISSIMO.

D. GODOFREDO. ANTON. DECORE,
A. L. ET. PHILOS. MAG. MEDICINÆ DOCTORI.

SUIS. IN. PHILOSOPHIA. ET. ARTIBUS.
LIBERALIBUS. AUT. OLIM. AUT. NUPER.
P RÆCEPTORIBUS.
ÆTERNUM. VENERANDIS.

Specimen. hoc. inaugurale. in. publicam:
grati. animi. testificationem. sacrum.
facit.

JOANNES. DAVID. HAHN,

D I S S E R T A T I O P H Y S I C A
D E
E F F I C A C I A M I X T I O N I S I N M U T A N D I S
C O R P O R U M V O L U M I N I B U S.

*Quam periculosa opus plenum aleae, in generalibus se
oblectare per physica, atque vel latum unguem ultra
experimenta salire, aut porro quid concludere.*

BOERH. Chem. Theor. pag. 727.

§. I. **V**olumen (*) mixti aequale esse voluminibus partium componentium simul sumtis, ab antiquis inde temporibus pro axiomate physico habitum fuit. Hoc usus est ARCHIMEDES, dum, fraude artificis ingeniosissime detecta, quantum aureæ coronæ argenti fuerit admixtum, HIERONI latus explanaret. Hoc usi haec tenus Mathematici omnes, cum regulas excogitarent, quibus varia misturas corporum spectantia problemata solverentur. Eodem nitiebatur oenopolarum calculus, quoties ex duobus vinis, pretio aut generositate inter se discrepantibus, mixtum medii cuiusdam pretii componere vellent.

§. II.

(*) Quod recentiores Philosophi improprie *volumen* corporis appellant; id olim *modus* vocabatur; ut patet clarissime ex eleganti SENECA loco, qui nar. quæst. l. IIIV. c. XXV. quamcunque, inquit, *vis*, *rem expende*, *contra aquam statue*, dummodo utriusque par sit modus: si aqua gravior est, leviorum rem, quam ipsa est, feret &c. Sed usu receptum vocabulum retinere, quam obscurus fieri, malui, licet minus latinum,

A

2 D I S S E R T A T I O P H Y S I C A

§. II. Nimisrum quotidiana homines docuerat observatio, duos v. g. Sextarios aquæ, vini, olei &c. seorsim sumtos atque inter se permixtos duplicitis exacte sextarii implere mensuram; tres pedes cubicos ligni alicujus, lapidis, metalli &c. inter se coagmentatos, extensione sua perfecte triplicem æquare pedem; verbosi corpora homogenea h. e. talia, quæ sibimet mutuo omnino similia sunt, inter se misceantur, volumen mixti a voluminibus partium in summam collectis non differre. Inde idem de quibuscumque obtainere corporibus fidenter credidit facilis multitudo. Neque dubitarunt doctiores, præsertim illis temporibus, quibus corporum proprietates ex ingenii perspicacia, non ex observatione, eruebantur, & unum experimentum, & vel hoc negligentius captum aut festinanter pensitatum, generali condendæ regulæ sufficiebat.

§. III. Simul vero ac philosophi ipsam diligentius excolare naturam cœperunt, perque sola experimenta prudenter instituta, ruminata, repetita, sapere nos in rebus corporeis, didicerunt: mox varia sese obtulerunt, alia scrutantibus, quæ recepto illi principio contraria esse facile vidisset attentus.

§. IV. Primus quidem, quantum ego comperiri potui, qui publice aliquid proposuerit, unde dubitandi occasio nata, idem fuit GLAUBERUS, qui Chemiam tam multis tamque pulcris inventis illustravit. Is enim, ut refert JUNCKERUS, animadvertit, Stannum & cuprum, colliquata, ultra quartam voluminis sui partem decrescere, pondere nihil fere imminuto.

§. V. Simile deinde periculum ab industrio HOOCKIO factum esse, auctor est Cel. s' GRAVESANDE; (a) ait enim: *inter experimenta, quæ HOOCKIUS coram societate Regia anglicana demonstravit, unum memoratur, in quo cupri densitas aucta fuit permissione Stanni, metalli levioris.* Quod equidem cum fieri non potuerit, quin aliqua pars alterutrius metalli intra alterum absorpta fuerit, necesse omnino est, voluminis aliquam imminutionem in experimento illo fuisse factam. Etsi autem neque in operibus HOOCKII neque in transactionibus philosophicis reperiire mihi licuerit locum, quo ejus tentaminis mentio fiat; dubiumque sit, an non s' GRAVESANDIUS HOOCKIO adscriperit, quod GLAUBERO debuisset aut

(a) Phys. Elem. Math., §. 1573.

aut alii cuidam auctori: eo tamen permotus est subtilis vir, ut postquam ex principiis hydrostatices eleganter deduxisset modum, determinandi in dato ex duobus metallis notis mixto, quantum utriusque contineatur, ex cognitis metallorum & mixti densitatibus, prudenter hanc subjungeret notam l. c. *Solutio-
nem bac niti hypothesi: metalla singula in mixto suum integrum vo-
lumen servare; accuratam autem non esse, si quodam partes unius
in poros alias penetrant.* Questionem banc: *utrum simplex partium
minimarum apposito in omni metallorum mixtura detur; experimen-
tis nondum satis accurate ad examen vocatam fuisse.*

§. VI. Atque bina, quæ memoravimus, experimenta non eo animo videntur esse capta, si modo capta sunt, ut inquireretur, num revera corpus ex aliis commixtum tantundem spati adimpleret, quantum singula scorsim posita ante mixtionem, quamquam eorum consideratio primum de hac re moverit dubium. Primus omnium, qui dedita opera huic themati incubuit, sine dubio fuit idem HOOCKIUS, cuius modo mentio facta est, vir acerrimi ingenii & diligentissimus naturae scrutator. Is enim tentando detexit, duos liquores, oleum scilicet *vi-
trioli & aquam*, commixta inter se, minus occupare spatium quam ante factam miscelam; hocque modi decrementum adscribit *pene-
trationi*, quam vocat, *dimensionum*. Quo uno exemplo axiomaticis illius dignitas jam corruerat. At dum HOOCKIUS vive-
ret, hoc ejus inventum in vulgus non emanavit. Post mortem
demum ejus editor posthumorum, WALLER, tradidit FRAN-
CISCO HAUKSBEY schedulam manu HOOCKII scriptam,
qua illius experimenti & necessarii ad id instituendum apparatus
descriptio continebatur. Sic factum est, ut strenuus HAUKS-
BEY novitate rei ductus non modo ipse experimentum repe-
ret, sed etiam in altera editione elegantissimi libri, qui inscri-
bitur *physico-mechanical experiments on various subjects* (a), pu-
blici juris faceret, confessus candide, inventionis gloriam non
sibi, sed HOOCKIO, deberi. Ipsum autem examen sequenti
inierunt ratione: ampullæ longum & angustum rostrum exseren-
ti immiserunt aquam ad certum usque terminum, qui ope scalæ
collo adaptatae facile designabatur; deinde effusa certâ aquæ
copiâ

(a) Ed. Londini 1719. 8vo. pag. 294.

4 D I S S E R T A T I O P H Y S I C A

copiâ æqualem *olei vitrioli* infuderunt, quæ proinde, si sub mixtione nihil in volumine mutationis fieret, ad eundem omnino locum, quo antea *aqua*, pertingere debuisset. Tantum aurem abfuit, ut eo usque perveniret mixtum, ut non modo statim a mixtione notabile inter liquoris superficiem & limitem, quem aqua simplex contigerat, interstitium conspiceretur, sed continuo etiam magis magisque deprimeretur, atque ad oculum sensim plus & plus decresceret volumen.

§. VII. Neque tamen vel HOOCKIUS vel HAUKSBEJUS hoc inventum ulterius pervestigavit, aut novis tentaminibus illustravit; neque præter eos, quantum novimus, ullus philosophorum ad tempora REAUMURII usque operæ quidquam in hoc thema impendit; si excipias MONTANARIUM, Italum, qui, ut monuit Cel. MUSSCHENBROECKIUS, varia inter se composuit metalla, ea mente, ut percontaretur, utrum in mixtionibus eandem retineant extensionem, quam pura habebant. Invenisse autem dicitur, idem in combinationibus metallorum quorundam obtinere, quod HOOCKIUS & HAUKSBEJUS de binis liquoribus inter se commixtis demonstrarunt. Descripta leguntur ejus experimenta in rarissimo opere, italice conscripto, cui titulus: *Giornale litterati d'Abbé NASSATI*. Sed neque videre potui librum, neque scio, in quibusnam potissimum metallis, an in his solis, aut quanam ratione versatus fuerit.

§. VIII. Omnes autem, qui præcesserunt, superavit, ut in multis rebus, sic & in hoc scrutinio immortalis REAUMURIUS. Is anno circiter 1733. in conficiendis novâ methodo thermometris occupatus, quorum in constructione mensionis accuratio omne punctum fert, varios e vitro conflatos tubos, exactissime prius divisos, certâ aquæ certaque spiritus vini copia replere curabat. Ita autem res agebatur, ut, antequam infunderentur liquores, definitus esset terminus, quo usque in tubo ascendere deberent. Infusione facta atque commixtione liquorum, animadvertis oculatissimus vir non ad præscriptos mixtum pertingere fines, suspicionem de voluminis aliqua imminutione inter miscendum facta non concepit, sed, quam ante habuerat, confirmatam accepit. Quapropter ut res extra dubium collocaretur, mox varia hoc thema spectantia tentamina instituit.

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE.

5

uit. Usus est eum in finem tubo vitro, inferiore parte ampulloso, cui determinatam quantitatem liquoris specificie gravioris, v. g. aquæ, immittebat, atque huic deinde liquorem specificie leviorem, ut *spiritum vini*, lenissime affundebat, ut minima quæ fieri possit, liquorum confusio contingeret. Mox circumligato circa locum ad quem usque liquores in tubo perveniebant, filo, concussionem faciebat, ut accuratissime inter se miscerentur. Linquebat tunc tubum verticaliter dispositum, donec omnes, quæ tubi adhærescerent parietibus, guttulae confluxerint, atque ad calorem circumfusi aëris redierit, excalefacta si forsan, mixtura. Quo facto circumorti ope fili cernebat facile, utrum aliqua fuerit voluminis mutatio facta, nec ne; & num augmentum, an decrementum. Sic varia fecit pericula cum aqua & spiritu vini, diversissimis proportionibus inter se combinatis; sic junxit aquam cum diversis vinis, cum lacte, cum oleo tartari per deliquium, cum zoda hispanica, cum oleo vitrioli; sic spiritus alcalinos fixos cum spiritu aceti; sic denique oleum lini cum terrebinthina. Experimenta, præser-tim illa, quæ cum aqua & spiritu vini, eademque & oleo vitrioli, instituit, pro more suo eleganter & copiose non tantum enarrat, sed variis etiam illustrat animadversionibus, atque even-tus mira subtilitate perveftigat; sed de his plura deinceps dicendi occasio dabitur (a). Ex omnibus inter se comparatis id manifeste liquet: *Corpora fluida diversæ indolis inter se commixta aliâ simplici particularum applicatione coire, aliâ semet mutuo penetrare; in illis volumen mixti æquale, in his minus esse voluminibus simplicium liquorum inter se collectis.* Neque dubitat sagacissimus Philosophus, esse nos detecturos, si hoc thema sedulo prosequamur, fluida, quæ permixta majus exhibeant volumen, quam seorsim posita simul efficiebant (b). Præter autem illa, quæ recensuimus, fluida non alia examinavit, neque firma corpora

(a) Vid. Memoir. de l'Acad. Roy. des Scienc. an. 1733. pag. 228-257^{ed. Amst.}

(b) Ib. pag. 250. Quand dans quelques-unes des combinaisons (Ipsiis verba sunt) il arriveroit, que le volume seroit augmenté, qu'il resulteroit du mélange une augmentation de volume plus grande, que la diminution de l'Esprit de vin méle avec de l'Eau nous a fait observer; je n'en serois pas surpris; mais ce seroit un fait nouveau & remarquable.

pora attigit, quæ profecto tam inter se commixta, quam in liquoribus soluta, parem mereri diligentiam ac studium videntur.

§. IX. Eodem auctore (*) aliud etiam quid rescivimus, quod ad hujus rei historiam vel maxime pertinet: quod nimurum, jam ante ipsum REAUMURIUM, PETITUS quidam, Medicus Parisinus, qui multa in solutionibus salium tentavit, experimentis detexerit, aquam cum spiritu salis, oleo vitrioli & oleo tartari per deliq. commixtam, voluminis aliquod decrementum pati. At hic non directe, ut REAUMURIUS, in hanc rem inquisivit, sed alia plane methodo usus est. Namque vasculum, nescio quomodo conformatum, aqua, spiritu salis, nitri, oleo vitrioli, oleo tartari per deliq. seorsim primo impletit, & quantum singula sub eodem volumine penderent, accurate examinavit. Sic poterat facili subducere calculo, quantum ponderare compositum deberet, si una vasculi dimidia pars spiritu v. g. nitri, altera aqua spiritui supernatante adimpleretur. Postea æqualia aquæ & spiritus illius volumina exacte commiscuit; eaque mistura vasculum sollicite replevit. Hac ratione invenit, plus pendere mixtum, quam ex calculo deberet, h. e. quam deberet, si spiritui dimidiā vasculi partem occupanti supernataret par aquæ modus. Ex quo constabat: mixtum illud, ex æqualibus aquæ & spiritus voluminibus factum, sub extensione vasculi exploratoris plus continere corporis, quam volumina dimidiata aqua & spiritus simul sumta. Unde porro perspicuum erat: mixtum, quod vasculum repleat, plus habere aqua aut spiritus aut utriusque, quam dimidiā partem. Inde tandem manifeste sequebatur: penetrationem aliquam liquorum in se invicem inter miscendum debuisse factam esse, ut ex commissis minus, quam debuisset, volumen prodierit. Sic ex suis ratiocinando experimentis eandem deduxit veritatem PETITUS, quam directis experimentis ostendit REAUMURIUS.

§. X.

(*) L. c. pag. 151.

§. X. At horum laborum fama, licet a Viris Celeberrimis suscepiti atque descripti fuerint, ad aures paucissimorum philosophorum pervenisse videtur. Quomodo enim fieri potuisset, ut materies tam gravis, tam nova, tamqne fœcunda, eousque haec tenus inulta relinquatur, ut non modo novis tentaminibus non amplificata, sed ne mentio quidem ejus apud plerosque facta sit? Neque veri est simile, ea's GRAVESANDIO innotuisse, versatissimo illi Philosopho: profecto enim, si cognovisset, eorum ope suspicionem, quam de metallorum mutua penetratione conceperat (§. V.), & confirmare egregie potuisset, neque adstringere metallis sed ad alia etiam corpora extendere debuisset; id quod deinde a Clarissimo MUSCHENBROECKIO factum cernimus, qui, cum pariter methodum docuisset, determinandi in mixto ingredientium quantitates, principio isto, de quo quæstio agitur, innitentem, generaliter pronnntiat: *quotiescumque corpora se penetrant, quando miscentur, bac methodo mixtorum copias cognosci non posse* (a). Quo in loco sine dubio ad ea respicit, quæ ipse jam antea (b) ex HAUKEBO & REAUMURIO adduxerat, quæque nos latius enumeravimus (§. vij. — ix.).

§. XI. Unus duntaxat HAMBERGERUS, Jenensium Celeberrimus Professor, pauca quædam tentamina hanc rem spectantia post REAUMURIUM, cuius ipse inventa ignorasse videtur, & instituit & publice descripsit (c). Hic cum suam de modo, quo solutiones fiant, sententiam explicuisset, videns, ex illa sequi, quod in omni solutione notabilis corporum penetratio adeoque voluminis imminutio fieri debeat, ad experientiam confugit, tanquam ad optimam ingenii moderatricem & æquissimam veritatis judicem, ut suam aut confirmaret aut limitaret opinionem. Varia igitur corpora, quæ se mutuo solvunt, eo conjunxit animo, ut videret, utrum solutionibus factis coalita revera minus spatii occupent quam antea, nec ne. Ipse sua sic enarrat tentamina: „ Exemplum talis solutionis, ubi summa soluti & solventis ante solutionem major est, quam post eam,, dant

(a) Institut. Physic §. 886.

(b) Ibid. § 64. n. 3.

(c) Vid. Ej. Elem. Phys. ed. 4ta. §. 242. Schol. I. 2. 3,

8 DISSE R TAT I O P H Y S I C A

„ dant *sul* *tartari* vel *nitrum in aqua*, & *mercurius in spiritu nitri* soluta. Quodsi enim vitrum, ventris sphærici & colli angustioris cylindrici, fluido solvente ad collum usque repletus, „ dein solvendi, etiam subtilissime pulverisfati, tantum addis, „ ut ad certam fluidum in collo adscendat altitudinem, solutione facta videbis, minorem rursus esse mixti altitudinem, quam erat mox post solvendi additionem. In plerisque vero aliis solutionibus, si simili modo experimentum instituatur, summa soluti & solventis post solutionem eadem est ac ante solutionem. Et paulo post: „ summa aquæ & salis ammoniaci, summa aquæ & sacchari, summa spiritus vini & camphoræ, non major est ante quam post solutionem.

§. XII. Habes, ni fallor, omnia B. L. quæ a philosophis haec tenus hanc in rem aut inventa aut evulgata sunt. Ex quibus jam satis perspicuum est, quam procul a dignitate axiomatis distet istud, quo tam frequenter tanquam verissimo principio usi sunt physici atque geometræ: *Volumen nempe mixti par esse voluminibus partium componentium simul sumitis*; quod dum fallax multis in casibus iamendum deprehensum est, dubia evadunt omnia, quæ ei unquam superstructa fuerunt.

§. XIII. Ego antequam vel HOOKII inventum vel REUMURII tentamina cognoverim, saepius de eo themate cogitans, multa nec inutilia nec injucunda in eo latere, semper judicavi, inductus tum *experimento*, cajus ante memini (§. 4.) GLAUBERIANO, tum nonnullis, quæ chemia suggerebat, phænomenis. Sic flores sulphuris, aquâ vix specificè graviores, possunt docente chemia in acidum vitriolicum simile & subtilissimam materiem inflammabilem resolvi, ex iisdemque rursus componi. Est autem maxima acidi ratione materiae inflammabilis copia, hujusque pars una, quindecim partes illius & quod excedit, obvolvit, cogit, atque in summa siccitate retinet. Atqui acidum vitriolicum, proinde & sulphuris, si meracius, fere duplo gravius est quam aqua. Ex eo tamen, cum minima aliqua levissimæ materiei parte juncto, flores sulphuris aquam vix pondere superantes gignuntur. Num quæso fieri hoc poterit absque insigni particularum acidarum distractione? Num hæc absque voluminis incremento? Nisi forsan statuere malis, concurrens ad generationem sulphuris plurimum aquæ, qua ita tem-

pere-

peretur acidum, ut ejus specificum pondus aqueo fere nihilo majus sit. Quid autem de *Cinnabari* dicemus, quam ex iisdem sulphuris floribus atque argento vivo intime copulatis parant Chemici, parat probabiliter & Natura? In ea, si bona notæ fuerit, septem admodum partes argenti vivi detegunt chemica artificia, unam sulphuris. Ea tamen si contra argentum vivum statuitur, vix ultra dimidium hujus specificum pondus exhibet. Unde minor longe gravitas ejus specifica esse videtur, quam ingens Mercurii ad sulphur propotione exigeret. Jam vero *calces metallorum* difficultatem quoque movebant. Vocant sic terras illas, quæ metallorum naturam constituant & speciem, diversæ pro singulis metallis, neque inter se mutabiles ullo artificio habentus cognito. Quarum specifica pondera semper minora sunt, quam ipsorum metallorum. Eadem tamen ubi cum principio inflammabili (at quam subtile hoc est & leve!) intimius coeunt; ita stringuntur densanturque, ut omnium gravissima corpora constituant. Quæ res si concipi potest, sane non potest, nisi ponas, notabilem fieri partium constrictione atque voluminis coarctationem. Rursusque *vitriola*, quomodo fieri potest, ut adeo levia sint, ut ne quidem duplum specifici aquæ ponderis habeant, quæ ex denso metallo & gravissimo acidorum conflata sunt? Aut quid efficit, ut eadem longe leviora specifice sint, quam pleraque *salia media*, quæ partim ex levioribus acidis partim ex leviore terra alcalina constant? Profecto hujus texturæ raritas sine voluminis incremento nasci non potuit. Et ne quis objiciat: in *vitriolis* plus contineri aquæ, quam in *nitro*, *sale communi*, *febrifugo Sylvii* &c. hancque illius levitatis causam existere! Nam licet omnis de iis aqua expellatur, protracta ad rubedinem usque calcinatione: specifica tamen eorum gravitas duplam aquæ non attingit (a). Mitto alia, quæ eadem

(a) Vid. Tabulam gravit. specif. cel. MUSSCHENBERG. in inst. phys. pag. 360. & 361. Conf. Tabellæ, quas in Transact. philosoph. n. 488. dedit quidam RICHARD DAVIES M. D. qui pag. 472. hoc animadvertiscens scribit: *it is remarkable, that Tartar vitriol. sal gem. sal mirab. sal marit. Nitro. &c. being salts composed of different acids and an alkaline Salt, should so far exceed in gravity the vitriolic salts, composed of the most heavy acid and a metallic earth. Is not this owing to its forming less solid chryssals, and to its containing large quantities of air concealed in its pores?*

10 D I S S E R T A T I O P H Y S I C A

dem subministrat apparitionum curiosissimarum feracissima chemia; quæ omnia in eo conspirant: dari in mixtionibus corporum innumera, de quibus nemo hactenus physicorum attente cogitaverit, quæ si tractu temporis evolventur enucleabunturque, fortassis plura physices principia, si non evertent, saltem labefactabunt & vehementer limitabunt. Neque obscure indicabant eadem, tam pondera specifica quam volumina multorum corporum mixtorum alia plane ratione se habere, quam ex cognitis componentium ponderibus & voluminibus calculans definiturus foret mathematicus.

§. XIV. Inde factum est, ut dudum jam opportunitatem desideraverim, penitus in hoc thema inquirendi; inde factum, ut, dum specimen philosophicæ cognitionis conscribendum esset, potius ad hoc, quam aliud quocunque, animum applicerim. Itaque auspice celeberrimo MUSCHENBROECKIO, Fau-tore meo generosissimo, multa hanc in rem pericula feci, omnis generis miscendo corpora, quæ benigna manus Clarissimi GAU-BII, quo nominetenus Avunculo, re ipsa indulgentissimo Patre utor, suppeditavit. Ea breviter descripta atque paulisper evoluta, in hasce pagellas compingam, tuoque, *Philosophæ Lector*, judicio exponam, relinquens plurima & tuæ meditationi, & futuro, quod faciat Deus, otio. Usus autem sum, tum in instituendis, tum in ordinandis experimentis, crassiore hac divisione, ut primo fluida cum fluidis, dein fluida cum firmis corporibus, tandem & hæc inter se conjungerem. Tu vero, antequam ad ipsa accedas experimenta, hæc de modo, quo capta sunt, attentus quæso perpende.

§. XV. Si ad scopum, qui nobis est, animum advertimus, patet sponte rerum gnaris, duplēcē esse modum, quo experientia institui queant, ut propositæ quæstiōni satisfiat. Inquirendum enim est: utrum corpora, diversæ indolis, per minima inter se permixta, retineant volumen, quod simul sumta ante mixtionem conficiebant; an vero constituant majus aut minus? Volumina autem corporum sequuntur constanter directam ponderum & inversam gravitatum specificarum rationem (*a*); unde a voluminibus

(*a*) S' GRAVES. Elem. phys. t. I. §. 1466.

nibus ad gravitates specificas, & ab his ad illa legitime concludi potest. Si enim mixtum retineat idem omnino volumen, quod partes ejus constituentes seorsim sumtæ efficiebant, gravitas ejus specifica erit media quædam inter specificas corporum componentium gravitates, & tanta præcise, quanta definitur per calculum legibus hydrostaticis nixum. Si volumen mixti maior sit, gravitas specifica erit minor, quam secundum easdem regulas deberet esse. Si denique minus prodeat volumen, gravitas specifica major erit, quam ex iisdem regulis determinabitur. Igitur sive volumina componendorum corporum, &, quod inde exsurgit, mixti, seorsim singula mensurentur, sive eorundem specifica pondera indagentur, perinde est; & utroque modo ad eandem cognitionem perveniri poterit. Illic ipsa mensio indicabit constantiam, incrementum, decrementum voluminis; hic opus erit prægressa supputatione, eaque satis prolixa. Illa methodo usi sunt HOOCKIUS, REAUMURIUS, HAMBERGERUS, & REAUMURIUS quidem subtilius coeteris; hac, licet minus perfecta, PETITUS; ut ex ante dictis liquet. (§. VI. VIII. IX. XI.)

§. XVI. Enimvero Philosophi, si dogma quoddam per experimenta commonstrarere volunt, ea omnibus aliis præferre solent, quæ rem direste, & quod dicunt, ad oculum ostendunt. Quare *methodus Reaumuriana* videtur alteri, quæ consideratione gravitatum specificarum nititur, anteponenda; utpote in qua non adeo per ipsum experimentum sensibus offertur, de quo quæstio est. Et profecto præferrem, quandocunque demonstrari duntaxat in genere debet, quod volumina corporum, dum miscentur, aut imminuantur aut increcent. Ubi vero ipsam argumenti aut decrementi quantitatatem subtiliter determinare animus est, ut mathematici fieri possit objectum: tunc sane minus apta videtur. Nam neque satis accurata est, neque fallaciis expers; adde, quod in multis casibus adhiberi omnino non possit. Cujus rei rationes, quia graves sunt, & ipsi themati lucem afferre valent, fusius deinceps exponam, ne diutius, quam par est, a contemplatione experimentorum te detineam.

§. XVII. Itaque usus sum, tum quia subtilior, tum quia universalis est, methodo, quæ ex gravitatibus specificis ope calculi, molesti quidem, sed fallere nescii, eadem voluminis mu-

tationes, & longe exactius, determinantur, quæ in altera fine prægressa supputatione, sed radius, comparent. Non autem intelligo modum, quem adhibuit PETITUS, qui quidem per gravitates specificas operatus est, sed eas tam crassò modo supputavit, ut nihil perfectioris doctrinæ inde proficisci potuerit. Summa in iis definiendis requiritur accuratio, ad quam pertingere, nisi illi, non licet, qui animum requisita doctrina, cautelis atque patientia, instructum habeat, cuique necessaria ad manus sit supplex & elaboratissima instrumenta, eo constructa modo, quo jubet Cel. s' GRAVESANDE (a), cuius etiam pendendi methodum, dum de accuratissima omnium loquor, intellectam velim.

§. XVIII. Ita proinde nos gessimus in singulis experimentis: ut primo corporum miscendorum densitates, seu, quod eodem redit, gravitates specificæ prudenter determinarentur; mox de singulis partes, inter quas ad libitum assumta proportio intercedebat, ope pensionis sollicitissimæ constituerentur. (Notari autem oportet, quoties de æqualibus aut certam rationem servantibus partibus loquor, id de ponderibus, non de voluminibus, intelligendum esse). Ex quibus cognitis supputando eruebatur, quantum debeat esse mixti specificum pondus, si miscenda absque ulla voluminum mutatione inter se coitura forent. Regulam, qua id commodissime perficitur, explanatam mox dabo ad exp. I. Quo facto definitæ illæ portiones, quantum fieri potuit, exactissime inter se miscebantur; quem in finem variis modis pro diversitate miscendorum utendum fuit. Post perfectam denique coalitionem ipsius mixti specifica gravitas pari accuratio-ne explorabatur. Hæc cum ita facta essent, cernebatur facile instituta comparatione: utrum specifica mixti gravitas a priori, ut ajunt, determinata, æqualis sit illi, quam pensio hydrostatica veram monstraverat, nec ne. Si æqualis erat, certi reddebamus, etiam in volumine per mixtionem nihil mutationis factum esse. Sin minus, discebamus mox, quod voluminis quoque aliqua con-tigerit mutatio, & qualis, num expansio, an contractio; immo-quanta. Nam volumina quum sint in ratione inversa densitaturn, hæ vero directe ut gravitates specificæ, sequenti licebat ra-tio-

(a) Vid. Elem. phys. math. l. 3. c. 3—6.

vici nati modo: volumen mixti imaginarii, quod extensione adæquat corpora commixta, ante compositionem simul sumta, est ad volumen veri mixti; quemadmodum hujus specifica gravitas est ad eandem illius. Ambo autem hæc specifica pondera cognita sunt. Assumto igitur pede cubico pro tertio termino, potest per regulam proportionum absque ambagibus determinari, quanta foret mutatio voluminis, si corpora eadem in eadem proportione, sed ea copia inter se miscerentur, ut volumina seorsim positorum, in unum collecta, pedi cubico æqualia sint: ad eum enim, tanquam ad fixum terminum, omnes reduxi, quas per experimenta deteximus, voluminum mutationes. Cæterum non usus sum vulgari mensurarum divisione, sed decimali, tum in ponderibus specificis, tum in extensionis magnitudine determinandis; idcirco pedem cubicum æqualem posui 1000,000 lineis cubicis.

§. XIX. Jamque ad ipsa experimenta accedo, quorum singulis ea mox subjiciam, quæ ad unumquodque pertinent; reliqua, quæ ex omnibus inter se collatis sequuntur, corollaria ad finem subnestant. Principio autem, ut instituimus, ita describam ea, quæ cum aqua & alcobole, inter se permixtis, cepimus, eademque cum Reaumurianis comparabo.

EXPERIMENTUM I.

§. XX. *Aqua*, qua usi sumus & in his & in omnibus reliquidis tentaminibus, erat *pluvia*, sed *destillata*. In ea bulbus vitreus, solidus, amisit $101\frac{7}{10}$ grana, ad gradum caloris 64^{tum} thermometri Farenheitiani. Sed ut facilior sit calculus, densitatem ejus ponimus = 1.000.

Alcohol autem, quod adhibuimus, e spiritu vini gallico operi alcali fixi ab omni phlegmate depurato, dein circumspete distillato, ut labes alcalica tolleretur, paratum, pari gradu calens, sub ejusdem bulbi volumine pensabat $83\frac{1}{2}$ gr. Unde ejus densitas respectu aquæ nostræ est = 0.8210.

Hujus gr. 600. cum totidem aquæ in vasculo vitro cylindrico commixta sunt.

Mox innumeræ bullulæ intra liquorem natæ indicabant motum intestinum & incipientem solutionem. Limpiditas non inturbata. Thermometrum, miscelæ immisum, monstrabat mercurium a gradu 64^o ad 76^o adscendentem; unde dein rurus sensim descendebat, nascente pariter plenaria quiete.

Mixtum, ad calorem atmosphæræ, gradus nimirum 69^o, reductum, pendebat in magnitudine ejusdem bulbi 94¹₂ gr. Quare ejus specifica gravitas = o. 9292.

En experimentum! ex quo haftenus nihil de constantia aut mutatione voluminis, in mixtione facta, intelligitur. Ut aliquid inde discamus, determinandum prius est, quanta foret hujus mixti densitas, si nulla aut condensatio aut rarefentia inter miscendum facta sit. Ea ope calculi sequentibus veritatibus innixi subducitur:

1. Pondera corporum sunt in ratione composita densitatum & voluminum.

2. Densitates autem & gravitates specificæ pari passu ambulant.

3. Pondera proinde si dividantur per numeros, qui expriment densitates vel gravitates specificas, dant volumina.

4. Pondus mixti æquale ponderibus corporum componentium simul sumptis; si nempe ita facta est mixtio, ut nihil materiæ corporeæ deperditum sit.

5. Quibus adjungimus id, de quo quæstio est: volumen nimiri mixti voluminibus corporum, ex quibus mixtum est, in unum collectis, æquale esse; quod ideo verum supponimus, ut deinde, indirecta velut demonstratione, constet, id ipsum sæpe numero falsum esse.

Si itaque specifica unius corporis gravitas sit = a, alterius = b; si pondus illius sit = c, hujus = d: erit volumen primi corpo-

$$\text{ris} = \frac{c}{a}, \text{ secundi} = \frac{d}{b} \quad (\text{per n. 3.}); \text{ mixti} = \frac{c}{a} + \frac{d}{b}$$

(per n. 5.).

Si deinde mixti specifica gravitas ponatur = x, cum ejusdem

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 15

dem pondus sit $= c + d$ (per n. 4.): erit ipsius volumen

etiam $= \frac{c+d}{x}$ (per n. 3.). Unde

$$\begin{aligned} \frac{c}{a} + \frac{d}{b} &= \frac{c+d}{x} \\ \underline{cbx + adx} &= \underline{abc + abd} \\ \underline{cb + ad : ab} &= \underline{c + d : x} \end{aligned}$$

H. e. *Producta, ponderis primi corporis per densitatem secundi, & ponderis secundi per densitatem primi, simul sumta, se habent ad productum densitatis unius in densitatem alterius: quemadmodum summa ponderum ad densitatem corporis mixti.*

Quæ formula sœpissime multum, quoad praxin, evadit facilior, si ponamus $c = nd$. Inde enim

$$\underline{a + nb : ab} = \underline{n + r : x}$$

In nostro experimento $a = 1.0000$, $b = 0.8210$, $c = 600$, $d = 600$; adeoque $n = 1$. Unde efficitur $x = 0.9017$.

Quodsi igitur in hac combinatione mixtum retinuissest volumen aquæ & alcoholis exhibiti: gravitas ejus specifica reperta fuisset 0.9017. Fuit autem revera longe major, nempe 0.9292.

Itaque necessarium est, factam esse in volumine mutationem; & quoniam volumina reciprocā gravitatum specificarum proportionem sequuntur, volumen in mixtione imminutum fuisse oportet, quum mixtum densius sit, adeoque plus corporis in eodem spatio habeat, quam deberet, si simplex particularum applicatio facta fuisset.

Sed quanta sit, quæ contigit, voluminis imminutio, porro queritur? Ad quod facillime ex datis responderi potest: Mixtum nimirum densitas, quæ debuisset esse 0.9017, fuit 0.9292; densitates autem sunt inverse ut volumina: unde efficitur, volumen mixti, quale revera est, se habere ad volumen mixti, quale singimus, facti ex simplici particularum spirituofarum & aquæ-

16. DISSERTATIO PHYSICA

aquearum appositione, uti 9017 ad 9292. Quare si aqua & alcohol, seorsim etiamnum posita, conficiant 9292 mensuras, mixtum non continebit nisi 9017; & quoniam 9292 : 9017 = 100 : $97\frac{1}{24}$ proxime, loco 100 mensurarum mixti, tantum accipiemus $97\frac{1}{24}$, materie corporea non imminuta. Ita proinde argumentari secure licet: Si aquæ & alcoholis æquales pondere partes jungantur, ea quidem copia, ut volumina eorum simul sumta æquent 9292'', fiet inter miscendum tanta condensatio & voluminis decrementum, ut deficiant in mixto 275''; nam 9292 - 9017 = 275. Atqui 9292 : 275 = 1000000 : 29595; pes autem cubicus æqualis ponitur 1000000 lineis cubicis (§. XVIII.). Voluminis ergo decrementum in hoc experimento tantum fuit, ut in pede cubico efficiat 29595'', quæ si ad calculum vulgarem reducantur, constituant 51 pollices cum 242 lineis cubicis. Quod ita intelligendum est: Si capiantur aqua & alcohol, nostris similia, ea proportione, ut utriusque par sit pondus, ea autem copia, ut bina seorsim etiamnum posita, ubi simul capiuntur, occupent spatium pedis cubici; si deinde commisceantur caute, ita ut ad sensum nihil amittatur: nequaquam inde accipiemus pedem cubicum mixti, sed deficiant 51 mensuræ vulgaris pollices, & quod excedit; ita ut condensatio & voluminis sub mixtione fiat decrementum paullo majus, quam est $\frac{1}{34}$ summæ voluminum commistorum corporum.

EXPERIMENTUM. II.

§. XXI. Eadem ratione permixta sunt aquæ gr. 800 cum gr. 400 alcoholis.

Apparuerunt similia, & mercurius a gradu 64 ad 80. adscendit; indicio majoris fervoris. (§. XX.)

Mixtum ad calorem aëris, 69. gradus, reductum, sub volume bulbi vitrei ponderavit $97\frac{1}{2}$ gr. Unde densitas ejus, respectu ad aquam habito, est o. 9587.

Si

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 17

Si regulâ, paullo ante demonstratâ (ad Exp. I.) utamur, appetet, densitatem hujus mixti, si voluminum nulla facta fuisse mutatio, esse debere o. 9322.

Proinde volumen mixti est ad summam voluminum aquæ & alcoholis adhibiti, ut 9322 ad 9587.

Ergo & hic condensatio quædam liquorum & voluminis immutatio per miscelam facta est; eaque æqualis est circiter $\frac{1}{36}$ voluminum mistorum summæ, conficiens in pede cubico 27, 641''. adeoque vulgaris mensuræ paulum ultra $47\frac{1}{2}$ poll. cub.

EXPERIMENTUM III.

§. XXII. Alcoholis gr. 800 miscuimus similiter cum gr. 400 aquæ.

Evenerunt similia, sed mercurius a gradu 66. non nisi ad 73. adscendit, indicio minoris fervoris. (§. XX. & XXI.)

Mistura, dum caleret 66 gradibus, ut atmosphæra, exhibuit gravitatem specificam o. 8948, detrahens quippe bulbo vitro gr. 91.

Atqui ex regulis mathematicis, si nulla voluminis mutatio facta fuisset, gravitas specifica hujus mixti debuisset esse o. 8731.

Ergo & in hoc experimento major quædam materiæ compactio, &, quod huic æquale est, voluminis contigit decrementum.

Et volumen quidem mixti fuit ad summam voluminum liquorum componentium, ut 8731 ad 8948.

Unde condensatio hic facta adæquat fere $\frac{1}{41}$ summæ voluminum adhibitorum.

Eademque in pede cubico æqualis est 24, 250''. h. e. paulo plus quam 42 poll. cubicos mensuræ vulgaris.

EXPERIMENTUM IV.

§. XXIII. Denique ut *alcoholis* & *aqua* volumina æqua-
lia jungantur, miscuimus *alcoholis* gr. 668 cum gr. 813 *aqua*.

Calor auctus a gradu 66 ad 78 usque; cæterum eadem phæ-
nomena.

Mixti ad calorem aëris, 68 grad. redacti, gravitas specifica
deprehensa est o. 9381, utpote in quo bulbus vitreus amittebat
 $95 \frac{2}{5}$ gr.

Si initur calculus ex regulis supra indicatis, apparet, gravi-
tatem specificam hujus mixturæ, si in volumine nihil accidisset
mutationis, debuisse duntaxat esse o. 9105.

Quare volumen mixti est ad volumina mixtorum liquorum si-
mul sumta, quemadmodum 9105 est ad 9381.

Igitur hic etiam voluminis factum est decrementum, æquale
in pede cubico 29, 421''. h. e. circiter $50\frac{3}{4}$ poll. cub. men-
suræ communis. Conficitque $\frac{1}{34}$ summæ voluminum componen-
tium liquorum.

§. XXIV. Atque hæc quidem sunt, quæ prima vice
cum *aqua* & *alcohole* cepimus, tentamina, ex quibus manifeste
sequentia fluunt corollaria:

I. *Aqua* purior & *alcohol* merarius, si aut partibus æquali-
bus, aut proportione ab æqualitate non admodum discrepante,
inter se permiscetur, non simplici particularum appositione
coëunt; sed coalescent in mixta densiora, quam simplex ap-
plicatio efficeret. Dum v. g. *aqua* pollicem cubicum cum pa-
ri *alcoholis* mensura commisceo, leges compositionis exigere vi-
dentur, ut in omni linea cubica mixti par sit *aqua* & *alcoholis*
modus, si æquabilis facta miscela, nempe dimidia utriusque
linea. Sed ita fane res se habere non potest. Nam si ita esset,
profecto densitas mixti non esset, ut vi experimenti revera est,
major, quam ex cognita ponderum atque densitatum ratione ope-
cal.

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 19

calculi definitur. Illud enim densitatis augmentum manifeste docet, quod in linea cubica mixti plus sit materie corporeae, quam dimidia linea aquæ cum æquali alcoholis copia concubens.

2. Hujus *condensationis* cauſa proxima est *penetratio* quædam mutua aquæ & alcoholis, qua sit, ut interſtitia quædam vacua, quæ aut in aqua aut in alcohole aut in utroque ſeorsim poſito fuerunt, per mixtionem repleta ſint. Cujus *penetrationis* rationem ac modum infra indagabo; nunc animadvertisſe ſufficit quod fiat, quidque per eam intelligendum ſit; ſimulque monuiſſe, nos *condensationis* & *penetrationis* vocabula in posterum promiſue adhibituros, cauſam pro effectu, hunc pro illa ponentes.

3. Inde autem efficitur, ut volumen mixti notabiliter ſemper minus ſit, quam volumina aquæ & alcoholis ante mixtionem ſimil sumta, materie ipsa corporea eadem manente.

4. Hoc *voluminis decrementum* & *condensatio mixti*, & quæ ambo producit, *mutua aquæ & alcoholis penetratio*, inter ſe ſunt æqualia, & ſe habent mutuo ut cauſa & effectus. Quanta enim fit penetratio, tanta nascitur condensatio; & volumen tantum decrēſcit, quantum incrēſcit densitas.

5. Penetratio autem non eadem in omni aquæ & alcoholis miscela, ſed pro variata miscendorum proportione diverfa eſt:

Maxima fuit, dum aquæ & alcoholis æquales pondere partes permiscerentur.

Huic fere æqualis, cum par utriusque modus eſſet.

His minor, quando duæ partes aquæ, una alcoholis adhiberetur.

Minima denique, ubi duplum alcoholis cum una aquæ parte coiverit.

6. Notatu autem dignissimum eſt, quod par fere facta fit penetratio in 2 experimentis, primo & ultimo, quorum in illo partes aquæ & alcoholis pondere, in hoc volumine æquales fuerunt. Neque id ſolum; ſed fervor etiam, qui, dum aqua & alcohol coīrent, ſubnascebat, utrobique aque magnus fuit, ut docet æquale in utroque experimento obſervatum caloris augmen-
tum.

20 D I S S E R T A T I O P H Y S I C A

7. Neque tamen a majori vel minori caloris inter liquorum coalitionem nato incremento ad majorem vel minorem penetrationem conclusio valet; quanquam ad id credendum facile induci posset, quicumque promptius ex priore observatione n. 6. argumentari audeat. In secundo enim experimento 16 gradibus auctus est sub mixtione calor, neque tamen tanta facta condensatio, quam in primo aut quarto, in quibus 14 duntaxat gradibus auctum observavimus.

8. Neque in experimentis recensitis ulla ratione potui proportionem percipere, aut invenire regulam, cuius vi ex penetratio, in una miscela facta, ad illam, quae futura esset, si alia proportione liquores commiserentur, ope calculi perveniri queat; quamvis praestari id posse, negare non ausim, dummodo plura in eam rem capta fuerint tentamina. Sic dum deteximus, quanta sit penetratio, si æquales aquæ & alcoholis partes conjugantur; quanta, si duæ partes aquæ cum una alcoholis, & vice versa, congridantur: nullo tamen modo a priori, ut loquuntur, exacte determinare possumus, quanta foret condensatio, si tres v. g. aquæ partes cum una aut duabus alcoholis commisceantur.

9. In genere tamen ex nostris experimentis sequi videtur: quod, quacunque demum proportione aqua cum alchole coalescat, si ea ab æqualitatis ratione diversa sit, minor semper exspectanda sit penetratio, quam in exp. 1. observavimus; & quo magis ab ea distet, tanto minor. Nam dum ab æqualitate ponderum pari passu ad utramque partem recessimus in exp. 2. & 3. minorem utrimque factam esse condensationem experti sumus.

10. Etiam si absque manifesto erroris periculo extra limites proportionum, circa quas jamdum cepimus experimenta, evagari non liceat: possunt tamen pauca nostra tentamina fatis late extendi. Ex iis enim ad sequentia respondemus:

Si alcohol, nostro simile, æquali aquæ copia dilutum, commisceatur cum dimidia aquæ parte: quanta fiet bac miscela penetratio? Ex exp. 1^{mo}. cum 2^{do} collato patet, eam æqualem fore in pede cubico 7, 323''.

Si idem cum dimidia novi alcoholis meraci parte componatur, quanta tunc erit? Respondeo: 5, 253'' in pede cub. (Exp. 1. & 3.).

Idem.

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 21

*Idem si coēat cum $\frac{1}{9}$ circiter aquæ, quanta inde penetratio? Erit
in pede cubico æqualis 2, 558''' (per Exp. 1. & 4.).*

*Si alcobol duplo aquæ dilutum, congregatur cum æquali meraci
alcoholis copia, quanta exspectanda condensatio? æqualis in pede
cubico 11, 952''' (per Exp. 3. & 2.).*

*Sed si alcobol, dimidia duntaxat aquæ quantitate dilutum, cum
æquali denuo aquæ copia combinetur, quanta inde penetratio? Erit
in pede cubico 14, 811''' (Conf. Exp. 2. & 3.).*

*Si sit alcobol duplo aquæ dilutum, & aliud aquæ dimidio dilutum,
etque hæc partibus pondere æqualibus confundantur: quanta erit pe-
ntratio? 3, 874''' in ped. cub. (Conf. Exp. 1. 2. 3.).*

*Si partes duæ alcoholis, duplo aquæ diluti, cum parte una alcobo-
lis, quod dimidio tantum aquæ dilutum fuerit, confundantur, &
mixturae addatur pars una aquæ simplicis: quanta fiet liquorum om-
nino penetratio? In pede cubico efficiet 7, 510''' (Conf.
Exp. 2. & 3.).*

*Hæc & pluscula alia ex 4 illis experimentis formari problema-
ta & resolvi possunt; neque minor harum solutionum, quam ip-
orum experimentorum certitudō, si supputationes bene fiant.*

Nempe perinde est, sive una vice omnem aquæ copiam cum
alcohole confundas, sive id partitis agas vicibus. Dummodo
eandem proportionem serves, mora interjecta nihil mutat. Sive
enim unam partem alcoholis cum duabus aquæ commisceas, mix-
tumque per aliquod tempus relinqas, deinde integro unam in-
super alcoholis partem addas; sive una operatione æquales con-
fundas liquorum partes: eandem misturæ invenies specificam gra-
vitatem, eandem condensationem, idem voluminis decrementum.
Quapropter postquam miscueramus primo 600 gr. alcoholis cum
totidem aquæ, deinde 800 gr. aquæ cum 400 alcoholis, licebat
nobis posteriorem, hanc misturam considerare, tanquam composi-
tam ex 800 gr. prioris h. e. alcoholis æquali aquæ copia diluti, &
400 gr. aquæ simplicis; licebat, illa 800 gr. alcoholis diluti pro sim-
plici fluido habere, atque ex densitate ejus, quam in primo experi-
mento cognoveramus, collatâ cum densitate aquæ, & proportione,
qua illud & hæc mista concipiebantur, ope calculi deducere, quan-
tum penetrationis in altera hac affusione aquæ ad dilutum jam alco-
hol contingere. Pari modo idem mixtum, absque erroris metu, in-

alias proportiones resolvi, &c, quid in singulis evenerit mutationis, calculo subduci potest. Sic idem concipere possumus constare ex mixto g̃tii exp. & aquā simplici, æquali quantitate inter se mixtis. Poterit quoque compositum esse ex una parte aquæ simplicis, una mixti g̃tii, & duabus mixti secundi, & sic porro. Sedula vero opus est, in tali resolutione facienda, attentione, ne ex veris experimentis falsa deducantur corollaria; & necessum in primis est, ut mixtum in tales partes distribuantur, quarum jam cognitæ sunt densitates. Si enim secus fiat, nihil poterit de secundis miscelis determinari.

Ne autem quis existimet, hoc artificio everti coroll. viij. dum penetrationes proportionum nunquam tentatarum supputando eruimus: animadvertis debet primo quidem, quod ope hujus resolutionis nequaquam determinemus condensationes, quæ futuræ sint, si meracum alcohol novis proportionibus cum aqua commisceatur, sed tales, quas exspectare debeamus, si alcohol, jam aliqua aquæ copia dilutum, cum simplici denuo aqua coalescat; deinde quod nullo modo ultra expertas proportiones procedamus, quin potius intra earum limites ita coerceamur, ut singula, quæ proposuimus, problemata si rite perlustres, unum aut alterum institutorum tentaminum æquiparare videas; nisi quod doctrinæ gratia paullo abstractius enunciata sint.

§. XXV. Omnibus inter se collatis, videor mihi, cum spe certitudinis, hanc de vi semet mutuo penetrandi, quam in aqua & alcohole deteximus, sententiam ferre posse atque ponere:

Dari *seriem* quandam *penetrationum* diversissimarum, cuius in medio consistat penetratio omnium maxima.

Ab hac ad utramque partem recedendo per innumerabiles gradus ad minores minoresque sensim penetrationes perveniri.

Esse & *seriem proportionum*, inter quas illa media sit, qua si jungantur aqua & alcohol, maxima illa penetratio contingat.

Abs ea omnes, quæ abludant, minorem semper exhibere penetrationem.

Eandem unam esse & simplicem; reliquarum vero proportionum duas semper, quæ parem penetrationem producant, quarum in unâ alcohol, aqua in alterâ excedat.

Ma-

Mathematice loquendo *seriem penetrationum utrumque in infinitum protendi*, nec esse unam, qua non detur minor.

Phyisco autem sensu eandem utrumque terminatam esse: dari nimirum initium & proportionem huic congruam, qua si aqua & alcohol misceantur, penetratio primum ad experimenta fiat sensibilis; hanc deinde sensim sensimque majorem fieri, proportionibus ad medium magis accendentibus; tandem maximam evadere; post rursus per eosdem sensim gradus imminui, sed ad certum duntaxat finem usque, quem ultra ad experimenta & sensus non amplius se manifestet.

Si 100 v. g. Spiritus vini, omni phlegmate, quantum fieri potest, orbati, congios ponas, non poterit una aquæ guttula illis inspergi, quin mathematice loquendo, & revera, aliqua, licet infinite parva, fiat penetratio; quæ ad minimum ipsius guttulae

¹ æqualis erit. Sed hæc ipsa non fiet sensibilis, antequam aquæ notabilis quedam quantitas, v. g. 10 aut plures congii, admixta fuerint. Ubi semel cœpit se manifestare, neque desinis aquam affundere, perget per innumeros gradus major majorque fieri, donec in miscela perventum sit ad proportionem, quæ maximam penetrationem exhibet. Quo facto si pergas aquam affundere, pari passu imminuetur rursus penetratio, donec ad terminum pervenias, quo ad sensus evanescit; licet forsitan revera nondum cessaverit.

§. XXVI. Jam vero operæ pretium est, ut paucis componstrem, quam pulcre REAUMURIANA cum nostris conspicient tentamina; quam egregie confirmetur ex iisdem opinio, quam modo proposui, de ordine penetrationum, ex variis proportionibus oriundarum. Idque vel ideo etiam necessarium est, quoniam ipse Auctor diversum quid inde deduxerit, quod vel maxime prima fronte sequi videtur. Experimenta ejus in summam redacta hac redeunt:

Cum 100 mensuris spiritus vini rectificati quum misceret exiguam aquæ copiam, v. g. 1, 2 aut 3 modulos, imminutio nem voluminis non factam esse, sensibus percipiendam.

Quando cum eadem spiritus quantitate jungeret 50 mensuras aquæ, decrementum voluminis contigisse, æquale $2\frac{1}{2}$ similibus mensuris.

Huic

24 D I S S E R T A T I O P H Y S I C A

Huic mixto dum adderentur 50 mensuræ aquæ, denuo volumen decrevisse $1 \frac{1}{2}$ mensurâ.

Cui miscitæ ubi affunderentur insuper 50 mensuræ aquæ, voluminis imminutio vix integrum mensuram æquabat.

Et dum huic admiserentur 50 denuo aquæ mensuræ, volumen non integra $\frac{1}{4}$ mensuræ imminutum est.

Dumque pergeret, huic miscitæ, ex 200 mensuris aquæ & 100 spiritus compositæ, novam affundere aquam, non amplius contigit illa ad sensum manifesta voluminis imminutio. (a)

Ex hac experimentorum serie deducit illustris Auctor hanc conclusionem: *maximam voluminis imminutionem contigisse, quando duæ partes aquæ cum una spiritus vini commiserentur* (b). Nam si in summam colligantur, quæ ad eam usque proportionem facta sunt voluminum decrementa, simul conficiunt 5 admodum mensuras. Fuerunt autem in illo mixto 100 mensuræ spiritus. Adeoque voluminis imminutio tunc aequiparabat $\frac{1}{20}$ voluminis spiritus. Tanta autem in nulla reliquarum miscelarum comparuit.

Equidem de experimentorum veritate aut accuratione dubitare nemini licet, cui divina REAUMURII indagandi vis & scrupulosa in observando prudentia cognita sunt; quis autem ignorare potest, quæ per omnes terras sunt celebratissima? Verum conclusio, quam ex iis intulit, minus legitima est. Non enim inde sequitur, penetrationem maximam fuisse, quum duæ aquæ partes uni spiritus affunderentur, sed idem potius, quod ex nostris didicimus periculis: tunc maximam contigisse, quando aquæ & spiritus partes commiserentur.

Cujus erroris (erroris autem accusare audeo tantum virum, quia vel inde patet, hominem duntaxat fuisse, qui tam multa tam

(a) Vid. Memoir. de l'Acad. Roy. des Scienc. an. 1733. pag. 238. & 239.

(b) Lorsque j'ai mêlé deux parties d'Eau avec une partie d'Esprit de vin, j'ai eu le plus grand de tous le vides, qui pouvoit étre donnés par le melange de l'Eau avec mon esprit de vin. L. c. p. 238.

tam utilia, tam profunde abscondita naturæ arcana humano generi revelavit) caussa in eo latet, quod, dum assignaret magnitudinem imminuti voluminis, attenderit solummodo ad volumen exhibiti spiritus, illam ex hujus magnitudine determinans, neglecto aquæ, quæ spiritui admixta erat, volumine. Istam autem methodum fallere, vel ex eo appareat, quod ipse animadvertis: asserit enim, se non majorem obtinuisse voluminis imminutionem, dum uni alcoholis parti admiscuerit 3 vel 4 partes aquæ, quam ubi eidem duas aquæ partes conjunxerit; & siue cum 100 mensuris spiritus misceret 200 tantum aquæ mensuras, siue 300 aut 400, semper decrementum voluminis quinque duntaxat mensuris æquale fuisse. Quodsi igitur cum solo spiritus vini volumine comparare, ex eoque definire licet decrementorum magnitudines: profecto in rationibus tripla & quadrupla, & innumeris aliis, æque magna forent, ac in dupla: quippe semper $\frac{1}{20}$ voluminis spiritus efficerent.

Scilicet quantitas spiritus vini in omnibus eadem erat experimentis; at copia & volumen aquæ continuo augebatur. Misturæ ergo omnes, licet diversis aquæ & spiritus proportionibus factæ, idem continebant spiritus vini volumen. Itaque illustris REAUMURIUS discrepantia misturarum volumina inter se comparavit, & tamen ex uno spiritus volumine, quod in omnibus idem erat, decrementa voluminum in singulis facta dijudicavit; cum ea potius cum voluminibus singularium misturarum, in quibus observata sunt, conferre, ex iisque determinare debuisset.

Ubi definiebat magnitudinem penetrationis, quæ facta fuerit, quando volumina aquæ & spiritus æqualia mixta erant, miscela continebat 200 mensuras. Dum vero definiret, quanta fuerit penetratio, ubi duæ aquæ partes cum una spiritus coiverint, mixtura ex 300 mensuris composita erat. In illa volumen 4 mensuris imminuebatur, in hac 5. Sed an inde sequitur, quod in hac major, quam in illa, facta sit penetratio? Major quidem est, si ad solum spiritus volumen, quod utrobique par erat, respicis; minor autem, si ad volumen totius mixti, ut debes, attendis: nam 4 habent sane ad 200 majorem rationem, quam 5 ad 300. Et si in primo casu 150 mensuras spiritus

26 DISSERTATIO PHYSICA

cum totidem aquæ combinasset, penetrationem obtinuisse non tantum 5, sed 6 mensuris æqualem.

Ut igitur certi quid ex memoratis experimentis eruatur, oportet decrementum voluminis, in singulis observatum, cum summa voluminum aquæ & spiritus vini, quæ in singulis fuerunt adhibita, conferre. Hoc si fiat, sequentia inde discimus verissima:

Dum duæ partes alcoholis cum una aquæ mixtæ sunt, factam esse penetrationem, æqualem $\frac{1}{60}$ summæ voluminum adhibitorum liquorum.

Quando æquales aquæ & spiritus modi coerunt, eam æqualem fuisse $\frac{1}{50}$ summæ voluminum amborum liquorum.

Ubi denique una pars spiritus cum 2 aquæ commixta fuit, imminutum esse volumen $\frac{1}{60}$ summæ voluminum aquæ & spiritus.

Ex quibus porro perspicuum est:

Maximam penetrationem factam esse, quando æqualia aquæ & spiritus vini volumina miscebantur, eamque tantam fuisse, ut in pede cubico æquatura foret 20, 000'''.

Minorem notabiliter fuisse, tum ubi duæ partes alcoholis cum una aquæ, tum quando duæ aquæ partes cum una alcoholis coiverint.

Denique in utraque isthac proportione fuisse tantam, ut in pede cubico efficeret 16, 666 $\frac{2}{3}$ '''.

Quibus si addas, quæ itidem ex REAUMURIANIS sequuntur: quoties spiritui vini minus quam subduplum, aut plus quam duplum aquæ admiscuerit, toties minorem penetrationem, quam ratio dupla aut subdupla dederat, evenisse: nonne hinc corroboratur vehementer opinio, quam de ferie penetrationum proposuimus? Esse nimirum maximam aliquam penetrationem, quæ ex determinata aquæ ad spiritum proportione fluat; a qua proportione si recedatur sive ad dextram sive ad sinistram, penetrations semper minores contingere. Esse præterea duas proportiones, quæ eandem penetrationem, maxima excepta, exhibant,

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 27

.beant, in quarum una spiritus excedat, in altera aqua. Porro ex iisdem patet, esse initium penetrationum, esse & finem; dari scilicet proportionem, qua si aqua cum spiritu misceatur, primum incipiat voluminis imminutio sensibilis fieri; dari quoque proportionem, quam si excedas, non amplius imminutio ad sensus manifesta fiat.

Et dum illustris REAUMURIUS judicaverit, proportionem duplam aquæ ad spiritum vini maximam exhibere penetrationem, statuendum potius fuisset ductu ipsius experimentorum: eam proportionem continere terminum, quo usque si aqua sensim admisceatur spiritui, vis penetrandi procedat, & ultra quem non extendatur.

Scilicet sollicite distinguendum esse putem in combinationibus aquæ & spiritus vini inter *punctum maxima penetrationis*, & *punctum saturationis*. Illud voco terminum, ad quem ubi pervenitur miscendo aquam cum spiritu vini, maxima omnium, quæ in æquali miscendorum copia fieri possunt, penetratione obtineatur. Hoc appello terminum, quo usque si aqua spiritui admiscetur, vis penetrandi ad sensus & experimenta exahauritur, ita ut si pergas aquam affundere, hæc cum miscela jam facta, velut cum homogeneo liquore, per simplicem applicacionem congregiatur. *Punctum hoc saturationis* assecutus erat illustris REAUMURIUS, quando duas aquæ partes cum una spiritus vini conjunxerat; nam dum plus affunderet aquæ, non facta est nova ad sensus voluminis imminutio. *Punctum vero maxima penetrationis* attigit, ubi paria aquæ & spiritus volumina commiseret; quod quidem cum aliqua limitatione dixerim, attendens nimurum ad ea solummodo, quæ ipse instituit, experimenta: nullus enim dubito, quin majorem etiam penetrationem deprehensurus fuisset, si partes aquæ & spiritus pondere æquales conjunxisset.

Est autem *punctum summa penetrationis* unum & simplex, & in media serie penetrationum collocatum; at *punctum saturationis* duplex, ab utraque parte ad indefinitam a medio distantiam unum. Alterum vocare licet *punctum saturationis aqueæ*, quod obtentum esse dixerim, quando certæ aquæ quantitatæ sensim sensimque affunditur spiritus vini eo usque, donec nova spiritus portio affusa nullam amplius cum miscela subeat penetrationem,

neque per novam hanc mixtionem ullum voluminis decrementum producatur. Alterum appellaverim *punctum saturationis spiritus*, ad quod perventum esse dicemus, quando idem cum determinata spiritus vini copia, cui sensim aqua affusa est, contingit.

Discrepant a *punctis saturationis puncta minimae penetrationis*, quorum itidem sunt duo, ad majorem longe, quam *puncta saturationis*, distantiam a medio in serie penetrationum collocata. Alterum seriei, si ad experimenta adaptatur, initium constituit, alterum finem. Unum obtinebitur, dum certae spiritus vini mensuræ tam exigua aquæ copia adfunditur, ut penetratio prima sensibus manifesta fiat; utque si tantillo minor admiscetur, nihil omnino penetrationis ad experimenta comparitum sit. Alterum deprehendetur, si determinatæ aquæ quantitatæ parva spiritus vini copia, quæ simili ratione se habet, admiscetur.

Ait REAUMURIUS: *quod, ubi aquam parvâ copiâ cum spiritu vini misceret, v. g. 1, 2 aut 3 aquæ mensuras cum 100 mensuris spiritus vini, non facta sit sensibilis voluminis imminentio* (a). Quodsi pergeretur affundendo sensim aquam, pervenietur absque dubio brevi ad terminum, quo prima sensibus penetratio patefiat. Eum appello *punctum minimæ penetrationis*, quod proinde initium daret seriei penetrationum ad experimenta stabilitæ. Si deinde nova continuo aqua mixturæ adjiciatur, donec circiter paria spiritus & aquæ pondera conjuncta sint: pervenietur ad *punctum maximæ penetrationis*. Quo obtento si plus & plus aquæ addatur, dum duplum circiter aquæ spiritui admixtum erit, comparebit terminus, quo cessat penetratio, ultra quem si aquam affundas, nihil amplius mutationis in volumine contingit. Sic *punctum saturationis spiritus* obtentum erit. Quodsi deinceps eadem ratione aquæ, v. g. 100 mensuris, sensim affundatur spiritus vini, similiter *puncta minimæ* primo, dein *maximæ penetrationis, saturationis* denique aquæ observabuntur.

§. XXVI. Ea, quæ hactenus ex nostris experimentis, cum REAUMURIANIS collatis, eruta proposui, partim ut confirmetur plenius, aut accuratius limitentur, partim ut gradationis illius,

(a) L. C. pag. 139. & 140.

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 29

illius, quam in variis aquæ & alcoholis penetrationibus observavimus, natura & leges clarior elucescant: alia quædam, præter jam memorata, cum aqua & alcohole pericula fecimus, quæ in sequenti tabella compendiose exhibebo. Cujus ad contemplationem antequam procedas, scire oportet, in posterioribus hisce experimentis similem quidem, ac in prioribus, & paris puritatis aquam fuisse adhibitam, sed diversum alcohol, quod pari licet modo, atque prius, paratum, non adeo exacte ab adhærente phlegmate orbatum erat: nam sub eodem volumine, quo prius $83\frac{1}{2}$ gr. hoc pendebat 86 gr. Unde specifica ejus gravitas o. 8456. Cæterum dum instituebantur hæc experientia, stabat mercurius ad grad. 44.

Proprio ponderum.	Densitas mixti vera.	Densitas calculo de- terminata.	Penetratio in ped. cub.
Aq. gr. 200 Alcoh. 600}	— o. 8957.	— o. 8796.	— 17, 975'''.
Aq. gr. 300 Alcoh. 600}	— o. 9108.	— o. 8915.	— 21, 190'''.
Aq. gr. 600 Alcoh. 600}	— o. 9390.	— o. 9163.	— 24, 174'''.
Aq. gr. 900 Alcoh. 600}	— o. 9548.	— o. 9319.	— 23, 984'''.
Aq. gr. 1200 Alcoh. 600}	— o. 9646.	— o. 9426.	— 22, 807'''.
Aq. gr. 933 Alcoh. 266}	— o. 9759.	— o. 9618.	— 14, 448'''.
Aq. gr. 1533 Alcoh. 267}	— o. 9833.	— o. 9736.	— 9, 864'''.

30 D I S S E R T A T I O P H Y S I C A

§. XXVIII. Quæ si expendantur, multa docent ad illu-
strationem thematis nostri cum maxime facientia:

1. Maximum momentum ad corroboranda ea omnia, quæ
ex præcedentibus deduximus, afferunt. Demonstrant pulcre se-
riem illam penetrationum, qua fit, ut gradatim adscendendo ad
majores majoresque, tandem ad maximam penetrationem perve-
niamus, qna superata per similes rursus decurrendo gradus &
velut descendendo ad minores sensim minoresque accedimus.
Sed & probant, quod ante jam stabilivimus, proportionem æqua-
lium ponderum maximam exhibere penetrationem, si alcohol
purius fuerit.

2. Eluescit inde, quod pro varia alcoholis puritate variae ex
iisdem proportionibus penetrationes obtineantur. In prioribus
enim tentaminibus, in quibus alcohol purissimum adhibuimus,
major longe fuit penetratio, ubi æqualia pondera, ubi duplum
aqua cum una parte alcoholis, & vice versa, conjunximus,
quam in his experimentis, dum iisdem uteremur proportioni-
bus. Quæ quidem res nemini mira videbitur, quicumque ad
priora pericula attentiorem animum applicuerit. Ibi enim pa-
tuit, alcohol ab omni aqua, quantum per artifia chemica po-
tuit, depuratum, si conjungeretur cum æquali, quoad pondus,
aqua copia, maximam fieri penetrationem, hancque semper mi-
norem esse, quoties plus aquæ cum alcohole misceretur. Usi
autem sumus in posterioribus tentaminibus alcohole graviore,
cui proinde quædam etiamnum aquæ particula adhærebat. Hu-
jus igitur alcoholis & aquæ quando æquales pondere partes com-
miscebantur, aquæ plus, quam dimidium pondus, mixturæ inerat;
unde necessum est, minorem contigisse penetrationem, quam
observavimus tum, quando par omnino utriusque pondus fuit.
Eademque ratiocinatio aliis etiam proportionibus applicari po-
test.

3. Mirabile autem est, quod in hac etiam, ut in priore,
experimentorum serie comparet: nimirum penetrationem celerius
decrescere ab ea parte, ubi plus alcoholis addabitur. In media
scilicet serie collocata est proportio, qua si coeunt alcohol &
aqua, maxima obtinetur penetratio, eaque est æqualium ponde-
rum; cuius ab una parte constituuntur proportiones, in quibus
plus aquæ quam alcoholis est, ab altera illæ, in quibus plus
alco.

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 32

alcoholis quam aquæ. Atque ab hac parte citius, quam ab illa, decrescere penetrationes, docent tum priora tum posteriora experimenta. In experimento IIlo (§. XXI.) ratio aquæ ad alcohol fuit dupla, in IIIlo vero (§. XXII.) ratio alcoholis ad aquam dupla fuit. Atqui binæ hæ proportiones pari intervallo a media, quæ æqualitatis ponderum est, remotæ sunt. In illa tamen longe, quam in hac, major facta est penetratio; quippe quæ illic 27, hic 24 fuit. Idemque in posterioribus periculis patuit: nam dum proportio aquæ ad alcohol esset dupla, penetratio fuit ferme 23, dum vero subdupla, fuit duntaxat 21 (§. XXVII.).

4. Falso itaque est, quod prima fronte naturæ rei congraum videbatur: nempe æquales evenire penetrationes in mixtionebus aquæ & alcoholis, si ponderum proportiones invertantur, si v. g. primo duplum aquæ sumatur, deinde duplum alcoholis.

5. An ergo inversæ voluminum rationes æquales dant penetratio-nes? Ad hoc credendum facile inducetur, qui REAUMURIANA sentamina, & quæ nos inde deduximus (§. XXVI.), solum considerat, ex quibus omnino sequitur: parem contigisse penetrationem in binis miscelis, quarum in una volumen aquæ di-midium voluminis alcoholis, in altera volumen alcoholis dimidium aquei fuit. Idem veri videtur simile, si nostra experimen-ta paulisper evolvantur. Sumamus posteriora. Quum al-coholis granis 600 affunderentur 300 gr. aquæ, penetratio facta est, quam exprimere licet per 21. Sed in hac miscela volu-men alcoholis majus erat, quam duplum voluminis aquei. Quod si igitur tantum aquæ adfusum fuisset, donec volumen aquæ al-coholis dimidium æquiparasset: penetratio, ut ex natura seriei sequitur, major fuisset quam 21. Contra ea ubi 1200 grana aquæ cum 600 gr. alcoholis miscebantur, penetratio fuit 22⁴₅. Verum in hac mixtura volumen aquæ non omnino fuit duplo majus volumine alcoholis. Si ergo plus aquæ admixtum esset, donec duplum omnino volumen alcoholis constituisset: tunc sa-ne minorem deprehendissemus penetrationem quam 22⁴₅. Quæ si inter se conferantur, haud ita improbable videtur, nos æqua-les detecturos fuisse penetrationes, si primo duplum aquæ, dein duplum.

duplum alcoholis volumen adhibuissimus: illic enim penetratio fuisset minor quam $22\frac{4}{5}$, hic major quam 21. Sed omnis mox corruit probabilitas, si paulo diligentius nostra experimenta perlustremus; dicendumque est, REAUMURIANAM methodum non fuisse idoneam ad subtiliores penetrationum discrepantias commonstrandatas. Etenim ex prioribus experimentis didicimus, quod, si volumen alcoholis sit ad volumen aquæ ut 1000 ad 821, hoc est, si pondera æqualia adhibeantur, penetratio major sit, quam si utriusque volumen æquet v. g. 1000; didicimus, quod, si volumina aquæ & alcoholis paria misceantur, penetratio major fiat, quam si aquæ volumen superet volumen alcoholis (Exp. 2 & 4.). Unde efficitur: quod, si invertamus memoratam proportionem voluminum, sumentes v. g. 821''' alcoholis, & 1000''' aquæ, futura sit penetratio multum minor, quam in priore casu. Quo uno exemplo, cui nolo alia, quæ ex nostris desumere possem, addere, penitus evertitur illud: Voluminum inversas rationes exhibere pares penetrationes.

6. Leges igitur, quas sequuntur penetrationes, dum ad utramque maximæ partem decrescent, ex institutis hactenus experimentis stabiliri posse vix putem; eas autem non esse ad utramque partem easdem, exinde colligo, quod neque ponderum, neque voluminum inversæ rationes æquales penetrationes presentent. Forsan etiam, quod vel maxime, ut verum fatear, suphicor, punctum summæ penetrationis nondum exacte deteximus. Nam si hoc præcise obtineretur, quando æqualia aquæ & alcoholis pondera junguntur: videretur profecto ex natura seriei sequi, quod, invertendo ponderum proportiones, æquales penetrationes obtainere debeamus; quum credibile minime sit, saltum fieri in serie penetrationum, aut eam ab alterutra parte interruptam esse. Forsan ergo est media quædam inter proportionem æqualium ponderum & proportionem æqualium voluminum, qua si miscerentur aqua & alcohol, omnium maxima futura sit penetratio, eaque major, quam habuimus, dum æqualia pondera commisceremus. (§. XX.)

§. XXIX. Antequam ad aliorum mixtiones corporum procedam, dilucidanda est quæstio: *Utrum series illa penetrationum, quam in miscelis aquæ & spiritus vini purioris obtinere vidimus,*

essa constans sit, & proportio, quæ est circiter æqualium ponderum, adeo semper maximum penetrationem præbeat, ut similis semper sit eventus, qualiscunque vini spiritus, sive parum seu multum phlegmatis continens, adhibeatur? Quæ quidem quæstio, quum spirituum vini ea potissimum sit discrepantia, neglectis reliquis impuritatibus, quod unus plus, alter minus aquæ intermixtum habeat, eo redit: An in secundis etiam mixtionibus, aquæ nimirum cum diluto alcoole, ut in primis vidimus, maxima obtineatur penetratio, si paria circiter aquæ & spiritus vini pondera componantur? Sane si quid ingenium in hisce valet, videtur negandum esse, rem ita se habere. Sit enim purissimum alcohol, quod cum æquali aquæ pondere congressum maximam subeat penetratiōnem. Quodsi huic vel minima aquæ particula intermisceatur, & tum demum pericula cum eo fiant: videtur punctum maximæ penetrationis mox e loco suo pulsum, alii cuidam submodi proportioni. Nam si huic diluto alcoholi admisceatur par aquæ pondus, certe plus in mixto erit aquæ, quoad pondus, quam alcoholis; quapropter maxima non videtur fieri posse penetratio, utpote quæ tantudem omnino alcoholis, quantum aquæ postulat. Videturque minus aquæ pondus adhibendum, ut hæc prodeat. Quod ita ingenium adstruit, labefactare videntur experimenta. Etenim si posteriora nostra spectes, apparet, alcohol, quo in iis instituendis usi sumus, notabilem aquæ copiam respectu illius, quod ad priora adhibitum est, jam continuisse. Nihilominus tamen in iis etiam, ut in prioribus, maximam penetrationem assecuti sumus, quando paria pondera liquorum conjunximus, & minorem semper, ubi aut aqua aut spiritus hanc proportionem excedebat. Unde sequi videtur, perinde esse, quale fuerit alcohol; ex similibus proportionibus similem profluere semper penetrationum seriem. Idemque RUMURIANA tentamina cum prioribus nostris collata suadere videntur, in quibus adhibitus spiritus vini mediæ erat puritatis inter binos nostros. (§. XXVI.) An ergo hoc in universum ita obtinet? Docebunt sequentia experimenta:

34 D I S S E R T A T I O P H Y S I C A

E X P E R I M E N T U M I.

Alcohol diluimus aquâ eo usque, ut 5 circiter aquæ, 4 alcoholis partes, in mixto essent, cuius deinde explorata gravitas specifica fuit o. 9489.

Diluti hujus *spiritus* grana 600 cum totidem aquæ granis commiscuimus.

Mixtum ponderavit sub volumine bulbi vitrei gr. $99\frac{1}{4}$; ad eoque ejus specifica gravitas fuit o. 9759.

Si autem dilutum illud alcohol pro simplici fluido considemus, & calculo (§. XX.) subducamus, quanta foret hujus mixti densitas, si nulla facta esset in hac miscela penetratio: invenimus o. 9738.

Facta est igitur condensatio, & quidem æqualis in pede cublico 2, 152''.

E X P E R I M E N T U M II.

Ejusdem diluti alcoholis grana 600 admiscuimus 1200 gr. aquæ.

Ponderavit mixtum sub pari volumine 100 gr. Unde ejus specifica gravitas o. 9833.

Deberet autem, si simplex particularum appositio facta es-
set, æqualis esse o. 9824.

Contigit ergo & hic condensatio, conficiens in pede cubico 915'''.

E X P E R I M E N T U M III.

Ejusdem alcoholis grana 800 permixta sunt cum gr. 400 aquæ.

Mixtum sub eodem volumine pendebat $98\frac{7}{8}$ gr. Ergo ejus specifica gravitas est o. 9722.

Ea

Ea autem ex calculo deberet duntaxat æquare o. 9653.

Quare & hic facta est condensatio, & notabilis, quippe in pede cubico efficiens 7, o97'''.

Ex quibus perspicuum est: maximam penetrationem factam esse, quando diluti alcoholis duplum respectu aquæ fuit; minorem, quando par utriusque pondus; minimam, dum aquæ duplex. Unde constat, inversam esse in secundis his miscelis penetrationem, & loco motum punctum penetrationis maximæ; id quod etiam cum ratiocinio egregie conspirat. Sed quomodo hoc conciliabimus cum illis, quæ paullo ante e posterioribus nostris experimentis deducta proposuimus, e quibus contrarium sequi videtur? Nimurum omnino statuendum est: punctum maximæ penetrationis non uni eidemque affixum esse proportioni, sed toties alia opus esse ad illud obtinendum, quoties diversum puritate alcohol ad experimenta adhibetur; punctum quidem illud, docentibus primis tentaminibus (§. XX - XXIV.) obtineri, si alcohol purissimum æquali circiter pondere cum aqua coeat; sed simul ac aquosior paullo spiritus usurpetur, minorem mox aquæ ad spiritum proportionem requiri pro eo adquirendo; inde licet in altera experimentorum serie (§. XXVII.) per proportionem æqualium ponderum maxima producta sit penetratio, credibile tamen esse, nos vel hac majorem cum eodem spiritu detecturos fuisse, dummodo paullo minus aquæ, quam æquale pondus, ei admiscuissemus. Statuendum porro est: quo plus aquæ adhærescat jam spiritui vini, ad experimenta adhibendo, eo longius distare proportionem, quæ maximam penetrationem præbet, a ratione æqualium ponderum; semper autem esse a parte seriei, a qua excedit alcohol; posse idcirco evenire, ut tam brevi intervallo a ratione æqualitatis semota sit, ut non multo majorem, quam hæc, penetrationem exhibeat, utque, si proportiones ab ea paullum remotiores adhibentur, in quarum una v. g. pondus aquæ respectu alcoholis duplum, in altera subduplum sit &c. proportio æqualium ponderum majorem, quam illæ omnes, producat penetrationem. Crediderimque, ita factum esse in altera experimentorum nostrorum serie (§. XXVII.). Alcohol enim, quo ibi usi sumus, erat quidem impurius respectu prioris (§. XX.); aqua

tamen, quæ ei intermixta hærebat, vix $\frac{1}{10}$ sui ponderis efficiebat, quod demonstrari potest ex collatis §§. XX. XXIII. XXVII. Parva hæc aquæ interpositæ copia non ita immutare potuit vim penetrandi, ut punctum maximæ penetrationis procul a proportione æqualium ponderum removeretur; idque fortassis obtentum fuisset, si 9 circiter aquæ partes, 10 aut 11 alcoholis, permixtæ essent. Inde autem factum est, ut, dum nos proportiones semper insigniter discrepantes secuti simus, in nulla eorum tam prope accesserimus ad proportionem, quæ maximam penetrationem datura fuisset, quam dum æqualia pondera adhibuimus. Inde factum, ut proportio æqualium ponderum majorem nobis, quam reliquæ omnes, quas tentavimus, penetrationem exhibuerit: quando enim æqualia dilutoris alcoholis & aquæ pondera conjunximus, fuit in mixto quantitas purissimi alcoholis, similis nempe primo nostro (§. XX.), ad pondus aquæ, ut 9 ad 11; quæ, dum duplum illius alcoholis adhiberetur, fuit ad aquam ut 9 ad 6, & ubi ratio aquæ sesqui altera erat, duntaxat ut 9 ad 16; quarum proportionum prima proprius ad rationem æqualitatis accedit, quam reliquæ binæ.

§. XXX. Atque hæc de miscelis aquæ & alcoholis dicta sufficient, quæ ideo latius explicui, ut speciminis loco sint pro aliis corporibus, monstrantque, quantum in hoc themate novarum rerum delitescat; quam dignum illud sit Physici meditacione ac scrutinio; quam denique multa supersint, in ipsis aquæ & alcoholis mixtionibus indaganda. Jam ad aliorum corporum combinationes progredior, ea primum recensiturus experienta, quæ cum prioribus nexus quendam habere videntur.

E X P E R I M E N T U M.

§. XXXI. *Vini mosellani gr. 600 miscuimus cum 600 gr. aquæ destillatæ.*

Mercurius in thermometro, liquori immerso, a gradu 65 ascendit ad $68\frac{1}{2}$. An a manu vasculum tenente?

Erat

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 37

Erat autem vini specifica gravitas o. 9980; in eo enim amittebat bulbus vitreus $101\frac{1}{2}$ gr.

In mixto idem bulbus amittebat $101\frac{11}{20}$ gr. Unde ejus specifica gravitas est o. 9985.

Quod si calculo supputamus, quanta debeat illa esse, si nulla omnino in volumine mutatio facta sit, invenimus quoque o. 9985.

Nulla igitur facta est in hac miscela penetratio, sed simplici particularum applicatione cohererunt liquores.

EXPERIMENTUM.

§. XXXII. *Vini rubri galici* gr. 600 totidemque aquæ commista sunt.

Calor tantillo per miscelam auctus, a gradu scilicet 68 ad $69\frac{1}{2}$.

In vino rubro amittebat bulbus $101\frac{7}{20}$ gr. Unde ejus specifica gravitas o. 9965.

In mixto idem amittebat $101\frac{9}{20}$ gr. Hinc ejus specifica gravitas o. 9975.

Si autem mutationis nihil in mixtione factum esset, deberet esse o. 9982.

Ergo gravitas mixti specifica, a priori determinata, major est, quam ea, quam experimentum exhibuit. Quid inde? Nimirum primum hic exemplum aucti sub mixtione voluminis comparet. Fuit enim volumen mixti ad summam voluminum adhibiti vini & aquæ, ut 9982 ad 9975. Ergo quemadmodum in experimentis cum alcohole & aqua factis condensatio, ita hic contigit rarefactio, licet exigua, neque in pede cubico major quam $701''$. An quia tam parva, potius adscribenda est instrumentorum ineptitudini ad minimas discrepantias determinandas? Non videtur, praesertim quia plures semper causæ sunt, quæ efficiant, ut densitas fluidi appareat ad experimen-

tum major quam revera est; id quod ex iis, quæ infra dicemus, elucescat.

Illustris REAUMURIUS experimenta similia cum *aqua* & *vino rubro burgundico* fecit, in quibus nulla omnino voluminis mutatio facta est; cuius rei rationem in eo sitam esse putat, quia vinum pro spirito vini plurima *aqua* diluto habendum sit (a). Quod licet non omnino verum videatur; licet etiam excepti possit, tam subtile voluminis augmentum per methodum REAUMURIANAM non posse oculis subjici: malo tamen credere, apparentem illam rarefactionem ab heterogeneis vino, quo usi sumus, intermixtis, ortam esse, eamque non fuisse observatam, si vinum purius neque adulteratum fuisset.

E X P E R I M E N T U M.

§. XXXIII. *Spiritus citri* gr. 200. commiscuimus cum gr. 800 *aqua*.

Ille autem sibi volumine bulbi vitrei ponderavit gr. $89\frac{1}{20}$. Unde ejus densitas o. 8756. Qui dum coiret cum *aqua*, nata est mox lactescentia, simulque calor auctus inde a gradu 66 ad 74 usque.

Mixtum reductum ad calorem aëris sub eodem volumine ponderavit $99\frac{3}{5}$ gr. Hinc ejus densitas o. 9794. Quæ ex regulis mathematicis (§. XX.) deberet tantum esse o. 9724.

Facta est igitur in hac miscela condensatio, & volumen mixti est ad summam voluminum spiritus & aquæ ut 9724 ad 9794. Unde deducitur decrementum voluminis in pede cubico æquale futurum 7, 147''. confitique proinde circiter $\frac{1}{14}$ voluminis mixti.

Spiritus citri est oleum citri in spirito vini solutum; sed oleum hoc non tam firmiter cum spiritu vini cohæret, quin vi

(a) Memoir de l'Acad. l. c. pag. 247.

aqua admixta ab eo separari queat. Hinc illa lactescentia. Nubit tunc spiritus vini aquæ. Proinde non mirum, quod nascatur quædam penetratio. Verum excusæ illæ olei particulae, quæ, interpositæ novi mixti particulis, pelluciditatem turbant, annon aliquam inducunt mutationem? Inducunt omnino, sed tam, quæ experimenti eventum parum minuit, quam exigua sit olei citri ad alcohol proporcio in spiritu. Quod discrimen hic negligimus, postea discutiendum.

§. XXXIV. Experimento præcedenti hanc absimilia sunt ea, quæ *Tincturam benzoën* cum *aqua* miscendo fecimus, duo pericula, hic ergo subjungenda. In tinctura amisit bulbus vitreus $91\frac{17}{20}$ gr. adeoque gravitas ejus specifica est o. 9031. Calor erat 64 graduum, dum experimenta fierent.

EXPERIMENTUM I.

Tincturæ benzoën grana 400 admiscuimus aquæ gr. 800. Nata mox, ut solet, lactescentia. Sic enim, audaci calliditate, *lac virginum* parari dicunt. Auctusque calor ad gradum 76.

Temperatum mixtum sub volumine bulbi vitrei pendebat $99\frac{7}{10}$ gr. Ergo ejus specifica gravitas æqualis o. 9769. Quæ si nulla voluminis mutatio facta foret, deberet esse o. 9655. Facta est itaque condensatio & voluminis decrementum, æquale circiter $\frac{1}{86}$ summæ voluminum adhibitorum, quod proinde in pede cubico efficeret 11, 679''.

EXPERIMENTUM II.

Mixture priori admixta sunt denuo 400 gr. aquæ. Diluta sic magis mistura, & calor, qui erat 64 grad. auctus est ad 67 grad.

Renato æquabili calore, mixti explorata gravitas specifica fuit o. 9823. Quippe bulbus vitreus in eo amisit $99\frac{9}{10}$ gr.

Si consideremus hoc mixtum, ut compositum ex 3 partibus aquæ, una tincturæ benz. cognoscimus facta supputatione, quod ejus densitas deberet æquare o. 9739. Proinde hoc respectu condensatio facta est, æqualis in pede cubico 8, 551'''.

Si vero concipiamus, idem constare ex 3 partibus mixturæ prioris & una aquæ, habentes pro simplici fluido priorem mixturam: tunc secundi hujus mixti densitas ex regulis mathematicis deberet esse o. 9825. Unde patet, altera hac mixtione nullam condensationem factam esse, sed liquores velut homogeneos coiisse. Immo videtur potius rarefactio, licet infinite parva, contigisse; nisi exigua illa differentia instrumentis, aut sensibus, aut excussis resinosis particulis, adscribi debeat.

Aqua ad tinteturam benzoën adsufsa excussum de spiritu vini resinan ante solutam. Coit hinc cum spiritu vini. Idecirco facta condensatio. Quum autem in primo exp. mox duplum aquæ admiscuerimus, videatur *punctum saturationis alcoholis* (§. XXVI.) obtinuisse. Quare per alteram mixtionem nihil amplius penetrationis factum; particulæ duntaxat resinosæ magis extricatae; quæ liberæ nunc & pensionem effugientes, cum tamen graviores sint aqueis, effecisse videntur, ut secundum mixtum paullo levius ad examen comparuerit, quam revera est.

§. XXXV. Cum aqua porro junximus *spiritus acidos*, *nitrum scilicet & vitriolicum*, quantum quidem ars potest, concentratos; & diversis etiam proportionibus, ut non tantum conficit, quod aqua cum iis penetrationem subeat, sed etiam, qua proportione majorem, qua minorem. Pericula cum spiritu nitri facta prius enarrabo.

EXPERIMENTUM I.

Spiritus nitri glauber. gr. 400 immisimus in retortam vitream; affudimusque leniter gr. 200 aquæ destillatae.

Natus est mox calor insignis; excussum vapores rubri, raries; ebullitio non admodum conspicua; color mutatus in intense viridem.

Paratus autem est *spiritus nitri*, quo usi sumus, ex nitro purissimo,

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 41

tissimo, siccissimo, cum $\frac{1}{2}$ olei vitrioli rectificatissimi absque aqua destillato; flammam velut liquidam referens, & perpetuo fumans; cuius specifica gravitas 1. 4995. Quippe in quo bulbis vitreus amittebat gr. $152\frac{1}{2}$, calente grad. 63.

Mixtum ad calorem communem, 64 graduum, reductum ponderavit sub volumine minoris cujusdam bulbi vitrei, (qui in aqua destillata amittit $5\frac{7}{10}$ gr. & quo uti debebamus, quia alter non poterat in mixto submergi;) gr. $7\frac{1}{2}$. Unde ejus specifica gravitas = 1. 3157. Quæ si nulla in mixtione mutatio facta esset, debuisset duntaxat æquare 1. 2855.

Ergo insignis hic facta condensatio; estque volumen mixti ad voluminum componentium summam, ut 12855 ad 13157. Hinc penetratio in pede cubico æqualis 22, 953'', efficiens scilicet circiter $\frac{1}{43}$ voluminis mixti.

EXPERIMENTUM II.

Præcedenti mixturæ in vasculo vitreo cylindrico affusa sunt 200 gr. aquæ.

Viror inde dilutior, sed lætissimus; effervescentia non conspicua; calor auctus a gradu 64 ad 80 usque.

Mixtum ponderavit sub volumine majoris bulbi $127\frac{3}{4}$ gr. Unde ejus specifica gravitas 1. 2561.

Potest hoc mixtum duplici considerari modo: vel quod sit compositum ex 600 gr. Spiritus nitri dilutioris & 200 gr. aquæ simplicis, vel quod ex 400 gr. Spiritus nitri fumantis & 400 gr. aquæ, inter se permixtis, constet.

Si illo modo contemplemur, & mixturam præc. exp. pro simplici fluido habeamus, ex calculo (§. XX.) deberet mixti hujus densitas esse 1. 2194. Ergo in secunda hac mixtione facta denuo est condensatio, eaque æqualis in pede cubico 29,

217''. Unde sequitur: si spiritus nitri fumantis, dimidia aquæ copia diluti, partes tres cum una parte simplicis aquæ coëunt: fieri per mixtionem voluminis decrementum æquale circiter $\frac{1}{34}$ summæ voluminum adhibitorum.

Si autem altero modo consideremus, ac si nempe spiritus nitri fumantis granis 400 una vice admistum esset æquale aquæ pondus: tunc ex regulis mathematicis densitas hujus mixti esse deberet 1. 1998. Proinde tunc volumen mixti foret ad summam voluminum componentium, ut 11998 ad 12561. Et condensatio adæquabit in pede cubico 44, 821''. adeoque volumen sub mixtione decrescit fere $\frac{1}{22}$ totius.

E X P E R I M E N T U M III.

In phialam vitream, mundam, angusto collo instruetam, immisimus 394 gr. *Spiritus nitri fumantis*; deinde affudimus totidem grana aquæ; mox orificio phialæ, epistomio vitro, exactissime congruente, clausimus.

Coierunt cum impetu; excussi vapores rubri, valde elastici, qui, repletâ totâ ampullâ, epistomium excussissent, ni manus restitisset fortius; color late viridis natus; calor vehementer auctus.

Dum hæc fierent, affudimus denuo 394. gr. aquæ; mox que miscelam effudimus in vas vitreum, cylindricum, quo augmentum caloris dimetiri possemus.

Adscendit Mercurius lente a gradu 64 ad grad. 92 usque. Color ita diluebatur, ut tamen in viridem adhuc vergeret. Executiebantur etiamnum ad effusionem & infusionem sensibiles vapores rubri.

Sic stetit in phiala, vitro epistomio exakte clausa, per aliquot horas. Tum pendimus totam mixturam, cuius pondus non erat nisi 1150 granorum; ita ut 32 gr. deperdita fuerint.

Eius specifica gravitas fuit 1. 1723, quum bulbo vitro adi-
meret $119\frac{9}{40}$ gr. Ea autem deberet esse 1. 1249, si nulla volu-
minis mutatio facta fuisset.

COR:

Contigit ergo ingens hic quoque condensatio, fuitque volumen mixti ad volumina spiritus & aquæ simul sumta, ut 11249 ad 11723. Unde voluminis decrementum æquale in pede cubico 40, 433^{'''}. h. e. plus quam $\frac{1}{25}$ totius.

§. XXXVI. Ex his experimentis discimus sequentia:

1. *Spiritus nitri fumans* si cum aqua misceatur, proportionibus non multum ab æqualitate abludentibus, volumen per mixtionem valde imminui.

2. Sed non æquale in omnibus proportionibus fieri voluminis decrementum: maximum obtinuisse, quando par utriusque pondus fuit; minus, quando aquæ duplum; & vel hoc multo minus, quando spiritus duplum.

3. Valere proinde etiam de miscelis *spiritus nitri* & *aqua*, quæ de combinationibus aquæ & alcoolis demonstrata sunt (§. XXV. & seq.): Obtinere nimirum in iis talem seriem penetrationum, quarum maxima per proportionem circiter æquium ponderum exhibeat &c.

4. Notatu dignissimum, quod, dum ratio aquæ dupla fuerit ad spiritum nitri, penetratio tam prope acceperit ad maximam; dum subdupla, usque adeo ab eadem fuerit diversa, ut vix ejus dimidium conficeret.

5. Mirabile est exemplum, quod præbet exp. 2dum cum primo collatum, quo constat: *spiritum nitri concentratissimum* non tantam cum certa aquæ copia penetrationem subire, quam eundem jam aqua dilutum. Mistis 2 partibus spiritus fumantis cum una aquæ, fuit condensatio 22. Unde verisimillimum, minorem futuram, si triplum spiritus adhibeatur, quam 22. Ubi vero diluti hujus spiritus triplum cum aqua nova misceremus, facta est penetratio æqualis 29.

6. Anné vapores inter miscendum excussi dubia reddunt hæc experimenta? Credet id facile, qui attenderit ad ultimum, quo 32 grana materiæ perdidimus. Videamus paullo distinctius, quid rei sit. Illa nimirum materies, quam sub miscela amittimus, vel paris est densitatis, ac mixtum superstes, a quo abripitur, vel majoris, vel denique minoris. Si est paris densitatis, nihil profecto inferre potest experimento mutationis: quia specifica mixti gravitas, quam solam querimus, per ejus ablationem

44 D I S S E R T A T I O P H Y S I C A

lationem non aucta vel imminuta. Si est majoris densitatis, experimentum potius confirmat: nam si retribueretur, mixtum den-
fius compariturum foret; unde major etiam, quam ex exper-
imento deduximus, penetratio esset. Si autem rarior sit, potest
omnino efficere, ut experimentum fallat: quippe mixti densitas
major ob amissam subtiliorem partem foret, quam proportio commi-
storum corporum exigit. Qualis autem fuit in miscelis spiritus ni-
tri cum aqua? Aut cujus naturæ fuerunt ac densitatis illa 32 gr.
quorum in ultimo exp. jacturam fecimus? Distinguendum omni-
no inter materiem, quæ fumi specie avolavit, & illam, quæ in-
strumentis adhærendo deperdita est. Nam effusio mixti e phiala
in vas cylindricum, immissio thermometri, transfusio per infun-
dibulum in eandem rursus phialam, fieri non potuerunt, qui-
singulis instrumentis adhærescerent quædam guttulæ. Has indo-
lis plane ejusdem ac totum mixtum fuisse, similemque spiritus
nitri & aquæ proportionem continuisse, absque erroris periculo
statuere possumus. Easdemque maximam jacturæ partem consti-
tuisse haud improbabile, quæ idcirco experimenti vim non in-
fringant; quippe retributæ densitatem mixti non immutassent.
Illa vero pars, quæ per vapores excusso amissa est, qualis fuit?
Certe aut de spiritu nitri meraco, aut de simplici aqua, vel
utriusque fuit particeps. Si de meraco spiritu, quod vix credi-
bile, necessum est, mixtum non tam densum fuisse, quam si illa
gravioris spiritus copia ei intermixta mansisset; unde gravitas
ejus specifica nobis apparere debuit justo minor, ex qua quum
ad penetrationem concluserimus, hanc etiam justo minorem po-
suimus. Nihil ergo momenti perdit experimentum; quin lucra-
tur, si res ita se habet. Simplicem autem fuisse aquam, quæ
exhalaverit, dici non potest: quia tum oculi, tum nares, vel
nimis nitrosum sentiebant venenum. Fuit ergo spiritus nitri cum
aqua junctus. Qualis autem proportio? Determinari vix potest.
Sed si fuit eadem ac in mixto, rursus nihil admittitur experimen-
to. Si autem plus spiritus inerat, quam proportio, qua liquores
miscuimus, exigit: confirmatur etiam eventus. Si denique maxi-
ma pars fuerit aqua, experimenti quidem efficacia debilitatur,
& penetratio proprie dicta non tanta facta est, ac nos ex eo de-
duximus; sed exigua est discrepancia & vix attentione digna-
ponam enim non tantum maximam vaporum partem, sed omnes

mni-

8

omnino meram fuisse aquam; imo quod plus est, integrum, quam fecimus, jacturam de aqua fuisse; proinde in mixto 32 gr. minus aquæ adfuisse, quam nos admiscueramus; hincque factum, ut mixtum fuerit specificè gravius, quam si proportio aquæ ad spiritum omnino dupla fuisset. Perinde erit, ac si nos illis 394 gratis spiritus nitri non nisi 788—32 h. e. 756 gr. aquæ admiscuissimus. Ex qua proportione, si nulla densitas mutatio in mixtione fieret, mixtum generaretur, cuius densitas foret 1. 1293, parum proinde diversa ab ea, quam proportionis aquæ dupla daret. Fuit autem densitas revera 1. 1723. Licet ergo ponamus, quod verum non est, omnem illam, 32 granorum, jacturam de simplici aqua fuisse, quæ sub mixtione vel exhalaverit, vel alia ratione ablata fuerit; licet proinde in hoc experimento ratio aquæ ad spiritum nitri non fuerit dupla, ut in prima supputatione supposuimus, sed fere ut 21 ad 11: nihilominus tamen ex dictis consequitur, penetrationem tantam in eo esse factam, quæ in pede cubico æqualis foret 36, 685''. Igitur si etiam experimentum non exactissime indicet, quanta facta sit penetratio, demonstrat tamen eam inter binos hos limites: 36 & 40, contineri, & propius ad 40 quam ad 36 accedere.

§. XXXVII. Jam, quæ cum *oleo vitrioli* & *aqua* mistis fecimus, pericula sequuntur, vel ideo maxime notabilia, quia novi aliquid ostendunt, quod in prioribus nondum apparuit.

EXPERIMENTUM I.

Sumsumus gr. 300 *olei vitrioli rectificatissimi*, cuius densitas erat 1. 8387. Quippe in quo bulbus vitreus amittebat 187 gr. iisque in vase vitro cylindrico admiscuimus gr. 600 *aqua*.

Calor singulorum liquorum, 64 grad. cito augebatur ad gradum 154; & ulterius, putem, auctus fuisset, ni, metu rupturæ coacti, capacius thermometrum in locum brevioris posuissimus: Nascebatur simul ebullitio. Excutebatur aliquid vaporum albescentium. Aëreæ bullulæ per omnem liquorem copiosissimæ.

Sedato motu, & calore ad communem aëris, 66 grad. redacto;

eto, bulbus vitreus in mixto amittebat $124\frac{9}{20}$ gr. Idem in eodem sequenti die, quo calor aëris erat 64 grad. amittebat 125 gr. quum mistura per noctem quieta stetisset & chartâ circumtortâ tecta. Igitur densitas mixti, quæ primam juxta pensionem fuit i. 2237, ex hac est i. 2291. Cujus differentiæ rationem principio non perspiciebam, certus de utriusque pensionis accuratione. Nimis enim magna, quam ut possit caloris imminutioni duorum graduum adscribi. Neque credibile, noctis unius spatio tantum materiæ subtilioris de mixto, per chartam interpositam ab aëre defenso, exhalasse, quod illam condensationem produxerit; præsertim quum constet, acidum vitriolum, aquæ fitientissimum, trahere potius ex aëre humorem quam emittere. Ergo relicta caussæ indagatione posteriorem pro vera mixti densitate habebam. Instituta supputatione inventiebam, si nulla facta esset penetratio, mixti densitatem fore i. 1793. Unde consequitur, contigisse penetrationem ingenitem, quæ in pede cubico efficiat 40, 517'''; hincque volumen, quod liquores simul constituebant, nondum mixti, sub hac mixtione imminutum esse $\frac{1}{25}$ sui ipsius.

EXPERIMENTUM II.

Accepimus olei vitrioli gr. 523, totidemque aquæ, quorum, dum miscerentur, calor, ut atmosphæræ, fuit 66 graduum.

Mox nata violenta effervescentia; vaporess impetuose eruere; auctusque est calor, (incredibile dictu) ad gradum 2120num usque.

Altero die, quo calebat mixtum 63 grad. ostendit densitatem; i. 3879 \square quippe abstrahens de pondere bulbi vitrei gr. $141\frac{3}{20}$.

Quodsi nulla liquorum penetratio esset facta, debuisset densitas duntaxat esse i. 2954.

Unde deducimus, tantam hic condensationem obtinuisse, quæ

in pede cubico efficiat 66, 647''. Et volumen liquorum per mixtionem decrevisse circiter $\frac{1}{15}$ sui parte.

EXPERIMENTUM III.

Mixto exp. præc. constanti ex æqualibus aquæ & olei vitr. partibus, admiscuimus gr. 523 aquæ; ut ita rursus ad proportionem, qua in exp. I. usi sumus, devolveremur.

Calor liquorum separatim examinatorum, ut atmosphæræ, erat 64 grad. auctus mox a mixtione ad gradum 78 usque.

Reducto ad grad. 64 calore, explorata mixtura ponderavit sub volumine bulbi vitrei $126\frac{7}{20}$ gr. Unde ejus densitas I. 2429,

quæ, si spectemus mixtum hoc, tanquam ex 2 partibus aquæ, una olei vitr. compositum, deberet duntaxat esse I. 1793. Quare hic penetratio foret in pede cubico 50, 366''.

Quod experimentum ubi cum primo, in quo eadem usi sumus proportione, conferrem, ægre omnino tantam discrepantiæ tuli: penetratio enim, quæ ibi fuit æqualis 40, hic æquare videtur 50. Quæ res tanto & mirabilior & explicatu difficultior mihi videbatur, quia non tantum eventus hujus experiimenti ab eventu primi differt, sed ipsius primi duplex velut fuit; ita ut dicendum sit, ex una eademque proportione, quæ est aquæ ad oleum vitr. dupla, tria, densitate diversa, nata esse mixta. Evidem rationem inveniebam satis plausibilem, cur in ultimo experimento densius fuerit mixtum, quam in primo. Scilicet in illo non una vice oleo vitr. affusum aquæ duplum, sed par primo pondus. Quod dum fieret, violentissima continet ebullitio, ut exp. II. docuit, & calor subnatus est tantus, quantum fere in nostro aëre aqua, dum coquitur, monstrat. Adde, quod miscela facta sit in vase patulo cylindrico. Credibile ergo est, sub prima illa mixtione vi geniti caloris factum esse, ut non quidem olei vitr. quidquam, sed aquæ permultum in vapores resolutum atque dissipatum sit. Sic imminuta aquæ ad oleum vitr. proportione, cum deinceps in exp. III. tantundem omnino aquæ, quantum in II. admiseremus, dici non potest,

test, duplum aquæ acidò fuisse junctum, sed minus. Quapropter mixtum etiam densius, quam in exp. I. fuisse necessum fuit. Hac ratione satis commode intelligebam, cur densitas mixti in exp. III. major fuerit, quam in exp. I. statuendo, quod improbare non erat, in illo minorem fuisse, quam in hoc, aquæ ad acidum proportionem, & rationi æqualitatis propiorem. Restabat tamen semper dubium, anne alia quædam hujus differentia caussæ existat; quod etiam inde videtur comprobari, quoniam in exp. I. idem mixtum, nulli caussæ mutanti expositum, per solam moram, semet ipso densius factum est. Itaque conjecturâ ex illis experimentis perspicere mihi videbar hoc: requiri longius tempus, quam quo durat calor per miscelam excitatus, ut aqua & oleum vitrioli se mutuo intime solvant; penetratiōnem proinde nondum omnino esse absolutam, quando calor miscelæ ad communem gradum depresso est, sed ultra hunc terminum procedere, eamque majorem semper fieri, ad certum nempe gradum usque, quo diutius concubuerint liquores. Hinc factum esse, ut in exp. I. licet tum demum pensionem fecerimus, quando æquilibrium caloris renatum erat, penetratio tamen liquorum nondum cessarit, sed ultra per quietem noctis continuata effecerit, ut altero die notabiliter major mixti comparuerit densitas. Neque vol sic exhaustam fuisse penetrandi vim. Atque ideo evenisse, ut in exp. III. ex eadem proportione major etiamnum condensatio producta sit, partim quia plus temporis ante pensionem elapsum, partim quia non una vice duplum aquæ oleo vitrioli affusum, sed primo æqualis copia in exp. II. unde oleum ita velut apertum fuisse videtur, ut reliquum aquæ dum admiseretur, tritis jam viis promptius percursis, parata spatia facilius occuparet.

§. XXXVIII. Quod suspicatus eram de penetratione, ultra caloris subnati finem se protendente, verissimum esse latus cognovi per experimenta, quæ cum aqua & oleo vitrioli aliquo tempore post priora cepimus. In his autem oleum, quo usi sumus, vitrioli paullo etiam fortius erat, quam prius, utpote in quo bulbus vitreus de suo pondere $188\frac{1}{8}$ grana amittebat; unde specifica ejus gravitas 1. 8489. Cæterum tempestas etiam frigidior,

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 49

gidior, quum hæc fierent, erat, mercurio non ultra 44 grad. protenso.

EXPERIMENTUM IV.

In phialam, angusto cervice instructam, immisimus *olei vitrioli* gr. 800. Sensimque affudimus gr. 400 *aqua* per infundibulum, quod per angusto lumine in ventrem phialæ patens, divergenti sua rotunditate in politos ostii margines ita quadrabat, ut vapores, per miscelam suscitati, omnes reprimerentur, neque excussione supereret locus.

In mixto, ad temperaturam aëris reducto, amittebat bulbus $157\frac{1}{8}$ gr. Quare specificum ejus pondus 1. 5450, quod, si nulla voluminis mutatio facta esset, foret duntaxat 1. 4415.

Cognoscimus hinc, evenisse condensationem, quæ in pede cubico exæquatura foret 66, 990'', & volumen per mixtionem plus quam $\frac{1}{15}$ decrevisse.

EXPERIMENTUM V.

Mixturæ præc. exp. addidimus 400 gr. *aqua*, affusione parum cautione facta.

Mox atque subnatus calor ad sensum esset restinctus, mixtum examini hydrostatico subjecimus. Immissus bulbus. Aequilibrium quæsitum, quod dabant 140 gr. Sed dum oculos acrius in lingulam bilancis intenderemus, en mirum aliquod phænomenon! Aequilibrium restauratum sensim rursus destruebatur. Apparebant velut ad sensus vacillantes liquoris ad sublevandum bulbum nisus. Addita $\frac{1}{4}$ grani. Renatum sic aequilibrium; idemque momento post iterum sublatum. Addita denuo $\frac{1}{4}$ grani. Denuo restitutum, & paullo post denuo perturbatum aequilibrium. Itaque tertia $\frac{1}{4}$ grani adjecta, quæ effecit, ut persta-

50 D I S S E R T A T I O P H Y S I C A

ret æquilibritas, saltem diutius. Sic miro spectaculo! intra aliquot minuta condensatio mixti adeo aucta est, ut in tam exiguo volumine, ac est bulbi adhibiti, vix $\frac{1}{2}$ poll. cub. excedentis, $\frac{3}{4}$ grani plus penderet. Neque dubito, quin ea ulterius increvisset, si longior interjecta fuisset mora.

Si nulla voluminis mutatio contigisset, foret mixti densitas 1. 2982. Est autem 1. 3840. Proinde condensatio facta æqualis in pede cubico 61, 994'''; & volumen fere $\frac{1}{16}$ decrevit.

E X P E R I M E N T U M VI.

Præcedenti mixto rursus admiscuimus eadem ratione aquæ gr. 800, quo factum, ut aquæ ad oleum vitrioli dupla esset proporcio, qua jam & in exp. I. & in III. usi sumus.

Mixto ad calorem communem reducto, bulbus vitreus in eamisit $126\frac{1}{2}$ gr. adeoque ejus specifica gravitas est 1. 2439. Deberet autem esse duntaxat 1. 1808.

Igitur condensatio facta in pede cubico exæquat 50, 727''. Estque per mixtionem (duarum partium aquæ, unius olei vitr.) volumen imminutum plus quam $\frac{1}{20}$ sui ipsius.

§. XXXIX. Quam pulcre confirmantur per exp. V. ea, quæ conjectando ad finem §. XXXVI. proposuimus! Non cessare cum subnato calore penetrationem. Illud enim densitatis insigne incrementum, quod, dum pensio fieret, tam manifestum observavimus, a qua quæso caussa originem traxit, nisi a continuata etiamnum liquorum penetratione? Quis enim affirmare audebit, avolantem perpetuo subtiliorem de mixto materiam in caussa fuisse? Quum calor mixti vix excederet gradum, qui erat in circumfuso aëre; nec quidquam amplius turbarum aut vaporum conspiceretur. Nisi autem hoc afferatur, nihil potest adduci, quod propositam opinionem evertat. Certeissimum itaque puto: penetrationem in mixtionibus aquæ & olei vitrioli,

vitrioli, forsan & aliorum liquorum, non finiri, quando æquilibrium ignis renatum est, sed vel satis diu ultra hunc terminum excurrere; eam autem maximam fieri in primo fervore, quod tanto mirabilius est, quia cæteroquin omne genus corpora per calorem magis expanduntur; deinde vero sensim plus languescere, & quo propius ad finem pertingat, eo lentiorem esse, atque ad capessenda paria incrementa plus & plus temporis requirere. Quæ cum ita mihi, propriis utenti periculis, constituta essent, incredibiliter gaudebam, quum deinceps omnia per experimentum HAUKSNEJI egregie confirmata cernerem. Ille enim cum, dicto (§. VI.) modo, oleum vitrioli cum aqua permisceret, non modo observavit, volumen sensim & per gradus decrescere (a), sed animadvertisit etiam, superficiem mixti intra primam a mixtione semihoram integro, & quod excedit, pollice infra terminum, ad quem liquores non mixti pervenissent, depressam fuisset, cumque per aliquot dies relinquaret, per spatiū duorum ad minimum pollicum ulterius descendisse (b). Quin postea subjungit, quod decrementum voluminis corporum non videatur simul & semel, aut brevi unius horæ spatio absolvi (c). Quæ si rite expendantur, nullum de penetrationis diuturnitate dubium supereffie potest.

§. XL. Præter id, quod hucusque explicatum dedimus, aliud etiam quid, notatu dignissimum, ex nostris experimentis fluere videtur: nimirum si oleum vitrioli fortissimum cum aqua miscetur, penetrationem maximam non fieri, quando æquales circiter pondere partes componuntur, ut factum vidimus cum aqua & alcoholē, ut & cum spiritu nitri & aqua; sed majorem contingere, ubi duæ olei vitr. partes cum una aquæ coeunt. Quanquam de ea re nihil certi statuere audeam, tum quia exp. II. in

(a) Loco supra cit. pag. 295. ubi ait: the experiment was very manifest by the gradual decrease of the dimensions of the liquor.

(b) In about half an hours time, the surface in the stem of the bolt-head had descended above an inch, and when I visited it on the monday following (for the experiment was made on the thursday) I found, it had subsided at least two inches below the mark I left it at. L. c. pag. 296.

(c) The decrease of the bulk of the bodies seems not to be performed all at once, or in so short a time (an hour or better). Ib. pag. 297.

in quo æquales pondere partes adhibitæ sunt, fere parem exhibuit penetrationem quam exp. IV. in quo olei vitrioli duplum erat, ejusque concentrationis; tum quia in instituendis posterioribus experimentis non sat temporis insumpsum est; unde factum esse suspicor, ut in experimento V^{to} præsertim, ob præmaturam pensionem, minorem posuerimus densitatem, quam plenaria penetratio dedit; quod inde confirmari videtur, quoniam in exp. II. in quo eadem fuit, ac in V^{to}, olei vitrioli ad aquam proportio, neque tam dephlegmati, majorem multo penetrationem observavimus, quam in V^{to}. Cujus discriminis duplex adduci potest caussa: 1. quod in exp. II. ubi mixtio in vase admodum patulo facta est, ob ingentem, qui subnatus, calorem, pars insignis materiae volatilioris & in primis aquosæ in auras sit dissipata; dum contra exp. V. ita fuerit institutum, ut omnis propemodum evaporatio præcaveretur; unde necessario effici debuerit, ut in illo mixti densitas major esset, quam in hoc; 2. quod in exp. II. non illico post mixtionem peractam & temperaturam caloris renatam pensio facta sit, sed post interpositam demum 20 ferme horarum moram; cum contra in exp. V. vix dimidia post mixtionem hora elapsa sit, antequam examen hydrostaticum iniremus. Quarum neutra sola est illius discrepantia caussa, sed ambarum concursus; earumque prior suadere videtur, in exp. II. condensationem justo majorem comparuisse, quia multum aquæ exhalaverit; posterior vero indicat, in exp. V. condensationem justo minorem fuisse positam, quia non ad finem penetrationis dilata pensio. Neque tamen prior caussa tanti momenti est ac posterior. Nam licet per miscelam aquæ & olei vitrioli ingens suscitetur calor, cuius in aquam simplicem tanta est efficientia, ut eam brevi in vapores solutam per aëra pellat; licet sub primo mixtionis fervore densi impetuose vapores excutiantur: evaporatio tamen, quæ inde producitur, supra fidem parva est; ut optime demonstravit HAUKE BEJUS, qui ut certus esset, quod observatum voluminis decrementum (§. XXXVIII.) non solis vaporibus excussis adtribuendum sit, sequens experimentum cepit. Sumvit duo vascula vitrea, patula, quorum capaciori immisit aquæ gr. 885, angustiori gr. 456 olei vitrioli. Mox ambo vascula cum contentis liquoribus ope subtilis bilancis ponderavit. Deinde oleum vi-

trioli

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 59

trioli aquæ affudit ita, ut simul vasculum angustius capaciori immitteret. Extemplo nata ingens ebullitio, & calor tantus, quem manus ferre commode non posset. Atque intra duo minuta pondus totius apparatus duobus granis imminutum; elapsa vero hora, quum liquorum conflictus & fuscitatæ turbæ compōsitæ essent atque restinctus calor, jaētura omnino fuit $6\frac{1}{2}$ gradorum. Postea amplius nulla evaporatio contigit: nam licet ad sequentem usque diem totus apparatus in bilance relictus fuerit, & pondus diversis vicibus exploratum, nihil porro decrementi animadverti potuit (*a*). Quod quemadmodum mirabilissimum est, magnamque olei vitrioli vim, aquam figendi & contra ignis efficaciam muniendi, ostendit; ita & omnia nostra experimenta eximie corroborat, & in primis docet, quod experimentum II. de quo magis etiam quam de aliis dubitabam, ob excusso vapores aliquantum quidem nos fefellerit, sed parum; quodque condensatio, quam ex eo deduximus, a vera non multum ab ludere possit. Unde credibile est, festinationem in exp. V. in longe majorem errorem nos abduxisse, licet alio nomine utilissima fuerit. Dubiumque hinc etiamnum est, annon in mixto experimenti V. si id satis diu relictum esset, majorem etiam penetrationem, quam in exp. IV. observaturi fuissimus, licet primo intuitu contrarium e serie experimentorum sequi videatur.

§. XLI. Supereft, ut, quæ *illustris REAUMURIUS* cum *aqua* & *oleo vitrioli* fecit pericula, paulisper evolvam, & cum nostris conferam. En, quæ habet!

1. Decem mensuris olei vitrioli admiscuit, modo supra descripto, totidem mensuras aquæ. Decrevit volumen $\frac{3}{4}$ mensuræ.

2. Huic mixturæ addidit 10 mensuras aquæ. Decrementum superavit $\frac{1}{2}$ mensuram.

3. Denuo affudit 10 mensuras aquæ; volumen denuo $\frac{1}{2}$ mensuræ decrevit.

4. Et

(*a*) L. C., pag. 296 et 297.

54 D I S S E R T A T I O P H Y S I C A

4. Et quarta vice aquæ 10 mensuras admiscuit; unde immunitio quidem facta, sed vix exæquans $\frac{1}{5}$ mensuræ.

5. Confirmandi caussa deinde 40 aquæ mensuras simul & semel cum 10 mensuris olei vitrioli commisicut. Observavit decrementum 2 mensurarum, tantum scilicet, quantum imminutioes præcedentes simul valebant.

6. Neque majus fuit, quando 50 mensuras aquæ & 10 olei vitrioli composuit. (a)

Hinc deducit Auctor: *decrementum voluminis totale fuisse 2 mensurarum, adeoque æquale $\frac{1}{5}$ voluminis olei vitrioli, & quatuor requiri aquæ, quoad volumen, partes ad oleum vitrioli penitus solvendum.* Nos autem ex istis experimentis sequentem construimus tabellam, ut singulorum vis distinctius elucescat:

Voluminum proportio:	Decrementum ex summa am- borum voluminum constitutum:	Idem in pede cubico:
Olei vitr. 1 Aquaæ 1}	— — — $\frac{1}{27}$ — — —	37, 500'''.
Olei vitr. 1 Aquaæ 2}	— — — $\frac{1}{24}$ — — —	41, 666'''.
Olei vitr. 1 Aquaæ 3}	— — — $\frac{1}{23}$ — — —	43, 750'''.
Olei vitr. 1 Aquaæ 4}	— — — $\frac{1}{25}$ — — —	40, 000'''.
Olei vitr. 1 Aquaæ 5}	— — — $\frac{1}{30}$ — — —	33, 333'''.

Quam

(a) Memoir, de l'Acad. des Scienç. an. 1733. pag. 254-255.

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 55

Quam tabellam si contempleremus, perspicuum omnino est:

1. In miscelis aquæ & olei vitrioli similem esse penetratum seriem, ac in miscelis aquæ & alcoholis (§. XXV.); esse quoque proportionem, quæ maximam penetrationem exhibeat, a qua si recedatur ad alterutram partem, minorem semper adquiri penetrationem; id quod ex nostris experimentis nondum consequbatur.

2. Maximam penetrationem non esse factam, ut Auctor inservere videtur, quando decrementum voluminis exæquabat $\frac{1}{5}$ voluminis olci vitr. Sed tum potius, quando æquale erat $\frac{7}{40}$ voluminis olei vitr. Novo arguento, non debere decrementa voluminum ex volumine alterutrius liquoris, sed ex summa amborum, determinari (§. XXVI.).

3. Punctum saturationis olei vitrioli (§. XXVI.) fuisse obtentum, dum quadruplum aquæ volumen oleo vitrioli fuerit admixtum: quidquid enim, ultra hunc terminum, aquæ affundebatur, cum diluto vitrioli oleo, velut cum homogeneo liquore, absque nova penetratione, congregiebatur.

4. Experimenta REAUMURIANA quoad penetrationum proportiones plane discrepare a nostris: proportionem aquæ ad oleum vitrioli, quæ ipsi dedit maximam, nobis fere minimam, & quæ ipsi una excepta minima, nobis maximam penetrationem exhibuisse. Si enim statuimus, olei vitrioli, quo usus est, gravitatem specificam fuisse circiter 1. 8000, intelligitur facile, in experimento primo, quo paria volumina junxit, pondus aquæ ad pondus olei vitrioli fuisse ut 5 ad 9, adeoque circiter hujus dimidium. Quæ proportio nobis maximam dedit penetrationem (Exp. IV.), ipsi unâ exceptâ minimam. Cum autem triplum esset aquæ volumen, adeoque pondus aquæ ad pondus olei vitr. uti 5 ad 3, qua fere proportione in Exp. I. III. VI. usi sumus, ipse habuit maximam, nos minimam condensationem. Cujus differentiæ quærenda caussa est partim in eo, quod oleum vitrioli, quod illustris REAUMURIUS adhibuit, diversæ a nostro densitatis forsan fuerit, partim vero, & præcipue in natura methodi, qua usus est, cuius ope decrementa voluminis eo semper minus exacte determinari possunt,

quo

quo minor liquorum copia, servata eadem proportione, ad experimenta adhibetur.

Denique & hoc notasse, quod idem nos docet REAUMUR, haud incongruum erit: nimis celebrem PETITUM aquæ & olei vitrioli paria miscendo volumina detexisse, densitatem mixti fere $\frac{1}{14}$ majorem, quam deberet esse, si nulla voluminis mutatio facta fuisset (a). Quod experimentum dum attentius considero, videor mihi probabili ratiocinio perspicere, id cum quarto nostro, tum quoad proportionem liquorum, tum quoad eventum, proxime convenire; unde huic novum certitudinis momentum accedit.

§. XLII. Sequuntur experimenta, in quibus tria acida, quæ nobis fossile regnum fundit, cum alcobole conjunximus; quod dulcificare vocant medici. Ordinar ab *acido salis*, cuius duas species adhibuimus; primo quidem, quem vocant, *spiritum salis cum bolo paratum*, cuius specifica gravitas 1. 1062, utpote in quo bulbus vitreus amisit $112\frac{1}{2}$ gr. Alcoholis specifica = o. 8210 (§. XX.).

EXPERIMENTUM I.

Hujus *Spiritus* gr. 450 immisimus retortæ vitreæ mundæ; dein totidem grana *alcoholis* sensim affudimus.

Effervescentia vix conspicua, nisi ex bullulis aëreis. Nullus strepitus aut spuma. Calor tamen auctus a grad. 63 ad 76. Quo rursus dissipato, mixtum sub volumine bulbi vitrei amitterebat $98\frac{1}{4}$ gr. Itaque ejus specifica gravitas o. 9661, quæ ex regulis mathematicis deberet tantum æquare o. 9425.

Facta est ergo condensatio, æqualis in pede cubico 24, 428''. Et volumen circiter $\frac{1}{41}$ per hanc mixtionem imminutum est.

EXPERI-

(a) L. C. pag. 251.

EXPERIMENTUM II.

*Priori mixtura addita sunt gr. 450 alcoholis, ut sic dupla effet
hujus ad spiritum salis proportio.*

Auctus denuo calor a gradu 63 ad 70. Bullulae innumeræ
per liquorem natæ.

Mixtum ad communem caloris gradum reductum ponderavit
sub volumine bulbi vitrei gr. 94; adeoque ejus specifica densi-
tas o. 9243. Ea autem deberet tantum esse o. 8982.

Proinde condensatio facta est, exæquatura in pede cubico
28, 237''. Decrevitque volumen per mixtionem duarum par-
tium alcoholis, unius spiritus salis, circiter $\frac{1}{36}$ sui ipsius.

Ergo dupla alcoholis ad spiritum salis proportio majorem dat
penetrationem, quam ratio æqualitatis (exp. I.); quod ideo notari
meretur, quia in omnibus huc usque enarratis experimentis con-
trarium observatum est.

§. XLIII. Simili modo cum spiritu salis Glauberiano pericu-
lum fecimus. In eo bulbus vitreus amittebat $114\frac{1}{8}$ gr. Unde
specifica ejus gravitas i. 1222.

EXPERIMENTUM I.

*Spiritus sal. glaub. gr. 400 miscuimus in vase vitro cylin-
drico cum totidem gr. alcoholis, ita ut alcohol affunderetur spi-
ritui.*

Exorti in principio fumi albidi; effervescentia pulra, non
effræna; calor a gradu 64 ad 86 usque celeriter auctus; liquor
limpidissimus permanit.

Mixtum, calens grad. 64, ponderavit sub volumine bulbi
vitrei 99 gr. Ejus ergo specifica gravitas est o. 9735; quæ,
si nulla mutatio contigisset, deberet esse o. 9483.

Facta ergo notabilis condensatio, æqualis in pede cubico
25, 885''. Decrevitque volumen circiter $\frac{1}{39}$.

EXPERIMENTUM II.

*Præcedenti mixturæ admixta denuo sunt 400 gr. alcoholis.
Effervescentia iterum haud vehemens, conspicua innumerabilibus
bululis in summum tendentibus. Auctus calor a grad. 63 ad 68.*

In mixto bulbus vitreus amisit gr. $94\frac{2}{40}$. Ergo ejus specifica
gravitas fuit o. 9265, quæ deberet tantum æquare o. 9017.
Proportio igitur alcoholis ad spiritum salis glaub. dupla pro-
duxit condensationem, in pede cubico æqualem 26, 767''.

Decrevit proinde volumen per mixtionem circiter $\frac{1}{38}$.

Quodsi consideretur hoc mixtum tanquam ex una parte alco-
holis, duabus vero partibus prioris mixturæ compositum, densi-
tas ejus, si secunda mixtio absque penetratione facta esset, de-
beret comparuisse o. 9167. Unde cognoscimus, sub altera hac
miscela contigisse etiamnum condensationem, in pede cubico ex-
æquaturam 10, 577''.

§. XLIV. En! quod cum *spiritu nitri fumante* (§. XXXV.)
& *alcoole* fecimus.

EXPERIMENTUM.

In retortam, vitream, amplam, immisimus *spiritus nitr. glaub.*
gr. 400; & sensim parvis portionibus, longisque intervallis, ei
affudimus totidem grana *alcoholis*.

Nata est momento vehementissima ebullitio; eructati impe-
tuosissime vapores densi, ruberrimi, suffocantes, nulla arte coer-
cibiles; strepitus ingens; calor incredibiliter auctus, ita ut vix
collum retortæ teneri manu potuerit. Fervore magnam partem
sedato, epistomium ostio immisum mox summa cum vi ad in-
signem altitudinem explosum est. Tandem omnis effervescentia
desit. Liquor excolor factus & pellucidus, adeo ut, quod re-
liquum esset alcoholis, absque turbis admisceri potuerit.

Amissa sunt sub mixtione gr. 340. Quare ob parvam super-
stitis mixti copiam ad pensionem hydrostaticam necesse fuit mi-
norem

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 59

norem adhibere bulbum vitreum, quo supra usi sumus (§. XXXV. exp. 1.), qui in mixto amisit $5\frac{9}{10}$ gr. Unde ejus specifica gravitas æqualis 1. 0351, quæ, si æqualia spiritus nitri & alcoholis pondera, absque vel evaporatione vel penetratione, coivissent, exæquare deberet 1. 0611.

Pulcrum experimentum, & attentione dignissimum! Sed cui fides nulla habenda: ne quicquam enim certi de voluminis aut incremento aut decremento docet; quamvis, si quis temere aut præcipitanter judicet, volumen liquorum fere $\frac{1}{40}$ auctum fuisse,

facile inde deducere possit. Nimirum accidit hic, quod fieri observerunt Chemici, quotiescumque spiritus nitri fumans & alcohol ita inter se miscentur, ut spiritui affundatur alcohol: ut maxima spiritus nitri pars sub ipsa mixtione in auras violentissime pulsa dissipetur, non item proportionalis alcoholis copia. Quod vel per lenissimam affusionem prohiberi non potest. Estque eo mirabilius, si universales fluidorum proprietates spectemus, quoniam spiritus nitri, tam multis partibus alcohole gravior, firmum veluti locum præbere videatur, cui incumbat alcohol, donec sensim cum eo coalescat. Si tamen ipsius spiritus nitri naturam attentius speculamur, nonne probabile est, caußam ejus phænomeni in eo sitam esse, quod perpetuos vapores emitat, qui, si coercentur, elastica, qua pollut, vi vehementer contrahituntur; coercentur autem sub strato incumbentis alcoholis, dum hoc spiritui nitroso affunditur, quod, cum sit subtile admodum & leve, facile perrumpitur; unde primus vaporum impetus, & ebullitionis turbarumque initium, quæ deinde aluntur & vel augentur, dum vapores nitrosi, per inflammabilissimum transeuntes alcohol, maximopere acuuntur, & igneam velut naturam induunt: cum ea sit spiritus nitri mirabilis proprietas, ut cum rebus oleofisis facilem citamque deflagrationem subeat. Hinc etiam intelligitur, quare alcoholi in vase contento si adfundatur spiritus nitri, non nisi levissima, si priorem species, effervescentia exoriatur, cum vapores illi elastici non cohibeantur; id quod vel maxime conjecturam nostram confirmat. Sed quæcumque ejus phænomeni caußa sit, inde factum est, ut experimentum hoc irritum sit. Incredibilis enim vaporum vis, qui sub mixtione ex-

cussi sunt, quorum naturam & rutilans color & infensa naribus atque gutturi acrimonia satis declaraverunt, effecit, ut in residuo mixto minor longe sit spiritus nitri ad alcohol proporcio, quam fuit adhibita; quod vel sapor manifeste demonstrat. Cum ergo non possit copia dissipati spiritus nitri determinari, nequit etiam calculo subduci, quanta debeat esse mixti densitas, si nulla vel condensatio vel rarefactio per hanc mixtionem fieret. Si igitur quis repetere velit hoc experimentum, debet alcoholi paullatim spiritum nitri affundere, non illud huic.

§. XLV. Denique & acidum vitriolicum cum alcobole conjunximus. Gravitas specifica olei vitrioli fuit 1. 8498 (§. XXXVIII.), *alcoholis* o. 8456 (§. XXVII.). Calor utriusque 41 grad.

E X P E R I M E N T U M

Recepimus *alcoholis* gr. 600, immisimusque lagenæ mundæ, vitreæ, angusto collo præditæ, cujus margini congruebat exacte infundibulum. Affudimus dein olei vitrioli grana totidem.

Primo contactus momento vix nata ulla mutatio; sed mox ac conquerateretur vas, incepit gigni calor maximus, excusisque sunt vapores copiosi, albescentes, qui ob clausum undique ostium vix extra lagenam prorumpere poterant. Sedato motu mixti color ex flavo rufescebat.

Cum calor subnatus fere restinctus esset, immisimus bulbum vitreum intra mixtum ponderandi cauſa; sed vix poterat æquilibrium adquiri. Principio enim ille mixti modus ne quidem omnino 120 gr. pendebat, deinde autem, dum accuratius pendere vellemus, sensim sensimque gravior evadebat, & per innumera-biles gradus ad gr. 121 pondere increscebat. Miro spectaculo! Äquilibrium enim quod nunc credebatur obtentum, mox iterum destructum erat. Adeoque gravitas ejus specifica est 1. 1898. Ea autem, si non facta esset voluminis mutatio, deberet duntaxat esse 1. 1606.

Itaque volumen decrevit sub hac mixtione circiter $\frac{1}{41}$; unde penetratio in pede cubico æqualis foret 24, 542'''.

Enī alterum periculum, in quo nobis ad oculum patuit, pe-tratio-

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 61

rationem non tam brevi tempore absolvit, ac temperationem subnati caloris (§. XXXVIII. Exp. V.). Illud enim densitatis augmentum, quod spatio aliquot minutorum contigisse vidimus, commonstrat, vim penetrandi continuo inter pendendum semet exseruisse; nisi quis deducere id velit ab avolante perpetuo spiritu subtilissimo, qui per miscelam alcoholis cum oleo vitrioli produci solet; quod est nullo modo verisimile.

§. XLVI. Junctis ita acidis cum alchole, placuit nobis, eadem quoque inter se combinare. Elegimus acidum nitri & acidum salis, ea proportione miscenda, qua aqua Regia optime paratur, ut exploremus, utrum mixtio, qua vires solventes tam mirabiliter invertuntur, voluminis quoque mutationem quandam involvat. Adhibuimus autem acidum nitri vulgo venale, quam

aquam fortē vocant, in quo bulbus vitreus amisit $124\frac{1}{2}$ gr. Quare specifica ejus gravitas I. 2242.

EXPERIMENTUM.

Spiritus salis cum bōlo parati gr. 335 (§. XLII.) miscui-
mus cum aquā fortis gr. 1340.

Coierunt absque turbis, absque subnato calore, qui erat 63
graduum.

Mixti specifica gravitas fuit I. 1922. quippe in eo bulbus
vitreus amisit $121\frac{19}{40}$ gr.

Eadem a priori determinata, est I. 1924.

Ergo nulla hic penetratio facta, neque rarefactio ulla nota-
bilis.

§. XLVII. Insignes sunt coloris mutationes, quas subit sy-
rupus violarum, quando ei vel acida vel alcalica admicentur.
Idcirco inquisivimus, an per easdem miscelas in volumine etiam
mutationis aliquid cotingeret. Eum in finem syrumpum violaceum
aqua diluimus ita, ut hydrostatice pendi posset, attamen intense
etiamnum cærulesceret. In eo tum amisit bulbus vitreus $112\frac{1}{2}$
gr. Ejus ergo specifica gravitas fuit I. 1062.

EXPERIMENTUM I.

Diluti syrapi granis 800 admiscuimus grana 400 mixturae Exp. II. §. XLII. quæ facta erat ex una parte spiritus sal. c. bol. parat. & 2 partibus alcoholis.

Non facta est conspicua effervescentia; calor tamen auctus a gradu 67 ad gradum 74 usque; color violaceus mutatus in amœnissime rubrum.

Mixtum, ad gradum caloris 67mum reductum, ponderavit sub volumine bulbi vitrei $106\frac{3}{5}$ gr. Proinde specifica ejus gravitas fuit 1. 0482, quæ juxta leges hydrostaticæ, habito *spritu salis dulci* pro simplice fluido, deberet esse 1. 0381.

Itaque condensatio hic facta est, & voluminis decrementum, æquale in pede cubico 9, 635''.

Quodsi hoc mixtum concipiamus ex tribus liquoribus compositum, ut est; hoc est, si una operatione commiscerentur *syr. viol. gr. 800, alcob. gr. 266\frac{2}{3}, spir. sal. c. b. p. gr.*

$133\frac{1}{3}$: futura esset condensatio, æqualis in pede cubico 21, 751''. Simile enim mixtum & ejusdem densitatis adipisceremur, ac in hoc experimento; sed condensatio foret major ob vim se mutuo penetrandi, quæ inter alcohol & spiritum salis viget, anticipatam in exp. §. XXLII.

EXPERIMENTUM II.

*Spiritus urinæ putrefactæ, in quo bulbus vitreus amisit gr. 103 $\frac{9}{10}$, cuius proinde specifica gravitas 1. 0216, grana 400 admiscuimus cum *syrupi violarum diluti gr. 800*.*

Natus est color eleganter viridis; nulla effervescentia; nec nisi uno gradu auctus calor, a 67 ad 68.

In mixto, calente 64 grad. bulbus vitreus amisit $109\frac{11}{20}$ gr.

Unde

DE MIXTIONE VOLUMNA MUTANTE. 63

Unde specifica ejus gravitas est 1. 0772, quæ, si nulla voluminis mutatio facta esset, foret 1. 0755.

Ergo hic quoque condensatio facta est, & voluminis imminutio, æqualis in pede cubico 1, 578''.

EXPERIMENTUM III.

Olei tartari per deliq. gr. 470, totidemque syrapi violarum diluti commiscuimus. Fuit autem ol. tart. per deliq. gravitas specifica 1. 3582; utpote in quo bulbus vitreus amisit 138 $\frac{1}{8}$ gr.

Natus mox viridis color; calor auctus a gradu 64 ad 69.

In mixto amisit bulbus vitreus 125 $\frac{7}{20}$ gr. Ejus ergo specifica gravitas 1. 2325, quæ, si nulla voluminis mutatio facta esset, foret duntaxat 1. 2193.

Igitur condensatio hic obtinuit, exæquatura in pede cubico 10, 709''.

§. XLVIII. Memorabilia cumprimis sunt, & meditatione Physici quam dignissima, quæ nunc enarrabo, pericula, quæ cum liquoribus acidis atque alcalinis inter se mistis facta sunt. Quibus in miscelis eam semper liquorum proportionem servavimus, quæ punctum, quod Chemici vocant, saturationis exhibuit:

EXPERIMENTUM I.

Spiritus sal. ammon. cum calc. viv. parati gr. 400 immissa sunt vasculo vitro cylindrico; eique guttatum affusum oleum vitrioli, donec saturatio facta esset, quam dederunt gr. 584.

Nata ingens effervescentia; fumi copiosi, densi; strepitus, qualis guttae aqueæ super candens ferrum cadentis; calor sensim auctus a gradu 66 ad 216.

Mixtura erat ponderis 940 gr. Ergo amissa sunt sub effervescentia gr. 44.

In ea, 63 gradibus calente, amisit bulbus vitreus gr. 150 $\frac{1}{4}$, proinde specifica ejus gravitas fuit 1. 4774.

Spes

64 DISSERTATIO PHYSICA

Spiritus sal. ammon. gravitas specifica fuit o. 9700, quippe qui ademit bulbo vitreo gr. 98¹³₁₀; *olei autem vitrioli* i. 8387.

Unde efficitur, mixti specificam gravitatem, si ponamus, nihil massæ corporeæ sub mixtione abstractum, nihil in volumine mutationis factum fuisse, debere tantum æquare i. 3480.

Hinc volumen mixti fuit ad summam voluminum componendum, ut 13480 ad 14774. Proinde volumen circiter $\frac{1}{11}$ per hanc mixtionem imminutum est; & penetratio in pede cubico æquatura foret 87, 593''.

Amissa sub operatione 44 grana si cui dubitationem de experimenti efficacia injiciant, ille repetat, hucque transferat, quæ diximus §. XXXVI. n. 6. addatque hoc: Si credere liceat, omnem jacturam, quam sub mixtione fecimus, soli spiritui sal. ammon. dissipato, ceu ingredientium leviori, tribuendam esse, adeoque a quantitate exhibiti spiritus abstrahenda grana 44. tunc ex regulis mathematicis specificam mixti gravitatem esse debuisse aliquantum majorem, nempe i. 3685. Nihilominus tamen penetrationem tantam in hac mixtione factam, quanta in nulla alia hactenus; quæ conficiat in pede cubico 73, 710''.

EXPERIMENTUM II.

Olei tartari per deliq. (§. XLVII. exp. IH.) granis 600, in vase vitreo, cylindrico, assudimus sensim spiritum salis cum bolo paratum (§. XLII.).

Mox facta effervescentia violenta; spuma; strepitus; bullulae innumeræ ad insignem altitudinem excusse; natusque in superficie annulus liquoris turbulenti, quem oleum dixeris, inferiore parte limpida permanente; qui annulus sensim latescebat; tandemque, strenua concussione facta, turbulentia omnem liquorrem occupavit. Materies perturbans, principio summum tenens, facta saturatione, per quietem pessum data, constituens massam flocculentam, laxam, flavescentis coloris. Unde constat, perturbationem illam fuisse crystallisationis initium. Calor interea

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 65

interea auctus a gradu 64 ad 76, quo stetit aliquamdiu; deinde durante etiamnum ebullitione descendere coepit.

Insumenta sunt ad saturationem obtinendam gr. 465 *spiritus salis.*

Amiserat mixtum per vim effervescentiae de suo ponderc
85 gr.

Materie illa flocculenta cum liquore limpido bene commista, amisit bulbis vitreus in mixtura $118\frac{39}{40}$ gr. Ejus proinde specifica gravitas fuit I. 1699.

Si statuimus, seposita tantisper jactura, in hoc mixto proportionem olei tartari per deliq. revera fuisse ad spiritum salis, ut 600 ad 465, quam adhibuimus: deberet specifica mixti gravitas ex regulis mathematicis esse I. 2353. Itaque volumen mixti fuit ad volumina amborum liquorum, ante mixtionem simul sumta, ut 12353 ad 11699.

En primum exemplum, in quo *voluminis insigne augmentum factum est!* En duos liquores, qui non modo primo coalitionis momento rarescunt, inque majus volumen expanduntur, sed etiam sedato jam fervore tantam retinent rarefactionem, quæ in pede cubico æquatura foret 55, 902''.

Sed quid dicendum est de illis 85 gr. quæ amissa sunt inter miscendum? Nonne calculo certitudinem tollunt? Si fuerunt ejusdem naturæ, ac residuum; si eandem liquorum proportionem, quam adhibuimus, continuerunt: non infringunt vim experimenti; sin minus, immutant omnino eventum. Videamus distinctius:

Spiritus salis multum est volatilior, quam liquor alcalinus fixus. Ponamus ideo, quod haud improbabile est, illius longe majorem, quam hujus, factam sub opere dissipationem. Sint residuo in mixto duntaxat 400 gr. Spiritus salis. Proinde facta supputatione comparet, specificam gravitatem mixti debuisse æquare I. 2447, si nulla voluminis mutatio facta esset. Ex quo consequitur, rarefactionem etiam majorem fuisse, quam calculo constituimus.

Eademque etiamnum major deberet esse, si tota jactura soli spiriti salis dissipato adscribatur. Hoc enim posito mixti densitas ex regulis mathematicis esset duntaxat I. 2480.

Hinc patet, quod, si statuamus, maximam avolantis materiæ partem de subtiliore & leviore liquore fuisse, concedere simul debeamus, tantum abesse, ut rarefactio per primum calculum justo major sit constituta, ut etiam nimis parvam posuerimus.

Aliter se res habet, si statuamus, jacturam pro maxima parte fuisse de fixiore & ponderosiore oleo tartari per deliq. Sed demonstrabo, licet id ponatur, quod adeo naturæ repugnare videtur, tamen ex hoc experimento sequi, insignissimam contingit rarefactionem. Dabo ergo, supereſſe in mixto tantum 525 gr. de oleo tart. p. deliq. Erit mixti gravitas specifica ex calculo 1. 2269, quæ fuit in experimento 1. 1699. Unde rarefactio in pede cubico æqualis foret 48, 721''.

Quin si quis audeat affirmare, quidquid deperditum sit, de liquore alcalino fixo fuisse; licet inde rarefactioni plus detrahatur, restat tamen semper tanta, quæ in pede cubico conficiat 47, 696''. Nam in hoc casu densitas mixti, per calculum determinata, deberet esse 1. 2257.

Quidquid ergo excogitemus aut ponamus, ea semper huic experimento manet vis, ut demonstret, volumen liquorum multis partibus per mixtionem auctum esse; quod pro hac vice sufficit.

Forsitan tamen flocculenta illa materies, in fundum per quietem præcipitata, nobis imposuit. Credibile enim est, si ea soluta mansisset & æquabiliter distributa, mixti densitatem majorem comparituram fuisse. Hinc saltem incertior redditur experimenti eventus.

E X P E R I M E N T U M III.

Spiritus cornu cervi, cuius specifica gravitas est 1. 0666, quippe de pondere bulbi detrahentis gr. $108\frac{19}{40}$, sumsumus gr. 500, eique sensim ac lente admiscuimus, in vase cylindrico, *Spiritum Sal. glaub.* (§. XLIII.) ad saturationem usque.

Nata effervescentia ingens; strepitus magnus; bullæ; spuma copiosa; pluvia subtilissima sursum ad insignem altitudinem ex-
cussa;

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 67

causa; calor sensim a gradu 67 ad 96 auctus. Non tamen turbata, durante ebullitione, limpeditas; sed obtenta saturatione, color vergebatur in rufum.

Requisivit punctum saturationis 430 gr. Spiritus salis.

Ponderavit mixtura 860 gr. Hinc amissæ sunt inter miscendum 70 gr.

In mixto, 64 gradibus calente, bulbus vitreus amisit $106\frac{1}{5}$ gr.

Unde specifica ejus gravitas 1. 0442.

Neglecta jactura, quam fecimus, si nulla voluminis mutatio facta esset, deberet mixti gravitas specifica esse 1. 0916.

Volumen ergo mixti fuit ad summam voluminum ingredientium, ut 10916 ad 10442. Contigit ergo rarefactio, æqualis in pede cubico 45, 393''. Estque volumen circiter $\frac{1}{22}$ auctum.

Perquam mirabile est, quod densitas mixti minor fuerit, quam componentium liquorum levioris.

Ponamus nunc, confirmandi causa, maximam amissæ materiæ partem fuisse de spiritu salis, qui commistorum liquorum gravior est. Sit ergo proportio spiritus salis ad spiritum C. C. in mixto, non ut 430 ad 500, sed ut 3 ad 4. Facta supputatione apparet, hanc proportionem, si nulla voluminis mutatio fieret, debere mixtum exhibere, cuius densitas æquet 1. 0898. Nihilominus igitur factam oportet esse rarefactionem, æqualem in pede cubico 43, 669''.

E X P E R I M E N T U M IV.

Olei tartari per deliq. (§. XLVII. Exp. III.) gr. 600 immisimus in vas vitreum, mundum, cujus venter per amplius, collum angustum. Ei sensim & guttam affudimus spiritum nitri glaub. æquali aquæ copia dilutum, cuius densitas 1. 2561. (§. XXXV. Exp. II.) Affusio fiebat per infundibulum vitreum, quod per angusto lumine in ventrem vasis patebat, cæterum ita congruens ad politum ostium, ut minimam expectemus evaporationem.

Nata est ad omnem guttam illabentem vehemens ebullitione, spuma, strepitus; & si forsitan duæ tresve guttæ semet promptius insequebantur, posterior semper ad altitudinem satis spectabilem in angustis infundibili sursum repulsa est; indicio, excuti materiem elasticam, quæ, coercita undique, huc potissimum impedimentum suum dirigat, quo minus resistatur. Interea turbatus est liquor, natis innumeris minimis crystallulis. Nata quoque per omnem liquorem rubedo satis intensa.

Impensa sunt ad punctum saturationis obtainendum gr. 412 spiritus nitri.

Quum autem videremus, concentratam nimis muriam jamjam in particulas solidas concrescere, saturatæ mixturæ admiscuiimus aquæ gr. 288.

Multum hinc de spiculis solutum est; color ruber mansit, licet dilutior.

Sed quia rursus major flocculorum nascebantur copia, denuo admiscuiimus aquæ gr. 200.

Sic flocculi omnes, quantum visus discernere potuit, soluti sunt, liquore subpellucido, cæterum etiamnum dilute rubescente.

Rebus ita constitutis pondus mixti totale fuit 1400 gr. Ergo 100 gr. sub mixtione amissa sunt. Sed qua ratione? Non conspicio. Non enim induci possum, ut credam, exhalasse fumi specie tot grana, tam parvo tempore, per adeo exiguum foramen, ac est infundibuli lumen, quod fere semper guttula una vel altera spiritus nitroſi clausum erat. Per commissuram deinde infundibuli cum orificio phialæ perparum erumpere potuit. Denique lenissime facta est affusio, adeo ut vehementior ebullitione præverteretur.

An ergo generalis est lex physica, quæ fert, ut pondus mixti semper sit æquale ponderibus partium componentium simul sumtis, si nihil massa corporeæ inter miscendum amittatur? An gravitas adeo directe ex natura corporea fluit, aut tam intime corpori a Creatore inculcata est, ut per mixtiones nullo modo immixtari possit? Anne subinde mixtio similem in pondus exserit vim, ac in volumen? ita ut, manente eadem massa corporea, pondus vel augeatur vel immixtatur? Vix subdubitans proponere audeo. Quot enim corruerent physices dogmata, si id verum esset! Suspicionem tamen movet hoc expedit.

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 69

experimentum, quæ ex eo etiam confirmatur, quod in præparatione florū Zinci observamus. Nam si libra Zinci, vi ignis, in flores convertitur, videmus sub ipso opere partem materiæ avolantem; nihilominus tamen superstitionis florū majus est pondus, quam adhibiti metalli. Sed hæc in transitu.

In mixto, calente 64 gradibus, amisit bulbus vitreus $117\frac{1}{10}$ gr. Adeoque ejus specifica gravitas est i. 1514. En alterum mixtionis exemplum, in qua densitas mixti minor est, quam componentium liquorū levioris! Indicio, insignem iterum rarefactionem atque voluminis augmentum per hanc miscelam productum esse.

Constat hoc mixtum ex ol. tart. p. deliq. gr. 600, spiritus nitr. aqua diluti gr. 412, aquæ simplicis gr. 488, neglectis scilicet illis, quæ amissa sunt, granis. Hinc ejus specifica gravitas, si nulla voluminis mutatio facta esset, deberet esse i. 1925. Rarefactio proinde hic facta, æqualis foret in pede cubico 35, 695".

Cæterum ob factam jacturam, quæ efficaciam experimenti forsan aliquo modo mutat, conf. quæ ad Exp. II. disputavimus.

EXPERIMENTUM V.

Eidem vasi vitro immisimus gr. 600 olei tartari per deliq. atque eodem modo, iisdem cum cautelis, sensim affudimus spiritum salis cum bolo paratum per duplum alcoholis dulcificatum (§. XLII. Exp. II.).

Principio nulla ebullitio conspicua facta est; sed mox excusæ in superficiem guttae rotundulæ, velut oleofæ, & dum concuteretur liquor, totus lacteus evasit. Deinde sensim sensimque major cœpit fieri ebullitio, simulque lactescens. Vaporibus albidis vas replebatur, & fumi, qui parca duntaxat copia prodire poterant, spirabant alcohol, nihil acrimoniae acidæ. Nascebantur interea innumeræ minimæ crystalluli, ad quas solvendas admisiimus gr. 400 aquæ; quæ cum non sufficeret omnibus, totidem insuper aquæ grana adjecimus. Ita omnes solutæ sunt, liquore subpellucido & leviter lactescente.

Exploratum universi mixti pondus deprehendimus 1790 gr.
Atqui fuerunt insumta pro obtainendo saturationis punto gr.
400 *spir. sal. dulc.*

Igitur non nisi 10 grana omnino sub mixtione amissa sunt.
Eventus, qui meretur cum proxime præcedente, ubi omnia
quoad miscendi modum erant paria, serio comparari!

In mixto amisit bulbus vitreus $110\frac{9}{40}$ gr. Ergo ejus specifica gravitas est 1. 0838, quæ ex regulis mathematicis, si nulla voluminis mutatio esset facta, debuissest exæquare 1. 0749.

Itaque facta est in hac miscela penetratio, & volumen mixti fuit ad summam voluminum componentium liquorum, ut 10749 ad 10838. Quare penetratio in pede cubico efficeret 3, 212".

Quanta est alcoholis potentia, in mutanda reciproca olei tartari per deliq. & spiritus sal. facultate, per mixtionem rarescendi! Nam qui solus & purus cum liquore alcalino fixo congressus ingentem rarefactionem subiit (Exp. II.), idem spiritus salis cum bolo paratus, per admixtum alcohol temperatus, cum eodem liquore coalescens, non tantum non rarescit, sed etiam in minus compingitur spatium.

§. XLIX. Sequuntur experimenta, in quibus *olea cum oleis* mixta sunt, aëre 66 gradibus calente facta.

EXPERIMENTUM I.

Olei amygd. dulc. 400 gr. miscuimus cum gr. 400 olei terebinthinae.

Coïerunt facile, calore non aucto.

Gravitas specifica *olei amygd.* fuit o. 9157, *olei terebinth.* o. 9034. In illo enim bulbus vitreus amisit $93\frac{1}{8}$ gr. in hoc $91\frac{7}{8}$ grana.

Idemque in mixto gr. $92\frac{1}{2}$; quare hujus specificum pondus o. 9095.

Si cal-

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE.

71

Si calculum in eas, deprehendes, densitatem mixti, si nulla voluminis mutatio facta sit, debere esse o. 9095.

Ergo revera nihil in volumine mutatum est per hanc miscelam.

EXPERIMENTUM II.

Eiusdem olei amygd. dulc. granis 430 admiscuimus totidem gr. Olei olivarum, cuius specifica gravitas o. 9145, quippe adimentis bulbo vitreo 93 gr.

Facta miscela calore immutato.

In mixto bulbus vitreus amisit $92\frac{2}{5}$ gr. Unde specificum ejus pondus o. 9086.

Idem a priori ope calculi determinatum, si miscela non mutasset volumen, foret o. 9151.

Itaque per hanc mixtionem voluminis augmentum factum est: nam volumen mixti fuit ad summam voluminum componentium liquorum ut 9151 ad 9086. Rarefactio proinde contigit, æqualis in pede cubico 7, 153'''.

Quis unquam de mirabili discrepantia cogitasset, quam inter oleum terebinth. & olivarum intercedere his experimentis discimus, qua fit, ut illud cum oleo amygd. mistum placida & simplici particularum applicatione coeat, hoc cum eodem placide quidem congregiatnr, sed in majus volumen rarescat? Singulorum rerum singulæ proprietates sunt; & singulorum corporum, utut similium, naturam per singularia duntaxat pericula cognoscere licet.

§. L. Curiosissima quoad eventus illa sunt experimenta, in quibus oleum stillatitum citri cum oleo subtilissimo, alcobole, coniunximus, instituta itidem aëre 66 gradibus calente. Alcobilis specifica gravitas o. 8210. (§. XX.) olei citri o. 8421 $\frac{1}{2}$ in hoc enim bulbus vitreus minor (§. XXXV. Exp. I.) amisit $4\frac{4}{5}$ gr.

Expt.

EXPERIMENTUM I.

*Olei citri gr. 200, totidemque alcoholis inter se permis-
cuimus.*

Natus mox motus intestinus; nata lactescencia. Particulae oleosae, pulcro spectaculo, in fundum descendebant. Quo facto limpiditas renata, oleo puro imum tenente. Miscui idcirco, quantum potui, accuratissime. Hinc per omnem rursus liquorum lactescencia, qua sensim imminuta, merum denuo in fundo confluebat oleum. Supernans liquor subpellucidus, non perfecte limpidus, turbulenter albicabat. Interea non mutatus calor.

Conquassavi vehementer, ut æquabilis liquorum distributio fieret. Tuncque in mixto amisit idem bulbus minor $4\frac{7}{10}$ gr. Unde constitit, specificam mixti gravitatem = o. 8246. Quæ, si nulla volumini mutatio illata esset, deberet æquare o. 8314.

Unde discimus, rarefactionem hic esse factam, & volumen mixti ad summam voluminum alcoholis & olei citri fuisse, ut 8314 ad 8246. Volumen igitur auctum circiter $\frac{1}{122}$.

EXPERIMENTUM II.

Priori mixturae addita sunt gr. 200 alcoholis.

Momento per totam misturam pelluciditas exorta excolor, & omne oleum e fundo sublatum. Cæterum calor non mutatus.

Mixtum abstraxit de pondere bulbi minoris $4\frac{17}{20}$ gr. Ergo ejus specifica gravitas o. 8509.

Exemplum sine pari, quo gravitas mixti major est, quam ingredientium liquorum ponderosioris!

Facta ergo est, per duplam alcoholis ad oleum citri proportionem, condensatio insignis & voluminis imminutio, æqualis in pede

pede cubico 27, 030''. Nam mixti specifica gravitas, si volumen non immutatum esset, foret duntaxat o. 8279.

EXPERIMENTUM III.

Oleo citri duplo alcobolis ita soluto denuo 200 gr. alcobolis admista sunt.

Inde summa, quæ concipi potest, pelluciditas; calor nullus, nec effervescentia.

In hoc mixto amisit bulbus minor $4\frac{4}{5}$ gr. Adeoque gravitas ejus specifica foret o. 8421, tanta præcise, quanta fuit ipsius olei citri, liquoris gravioris.

Sed cum stetisset aliquamdiu ab aëris injuriis defensa mixtura, confirmandi cauffa, pensionem altera vice, sed cum bulbo majore, instituimus, qui in ea amittens $85\frac{7}{20}$ gr. docuit, gravitatem specificam revera minorem esse, æqualem nempe o. 8392. Unde cognovi, non posse habere fidem pensioni, ope bulbi minoris, qui simul cavus erat, factæ. Cujus rei deinceps rationes exponam. An ergo in exp. II. major etiam ad examen comparuit mixti densitas, quam revera fuit? Quam maxime credibile est. Sed ipsius etiam olei citri densitatem justo majorem positam ideo fuisse, necessum est. Eapropter, uno errore per alterum correcto, penetrationum proportio a vera non multum abludere videtur.

Si calculo subducamus, quanta debeat esse specifica gravitas mixti, quod ex 3 partibus alcoholis, una olei citri, compositum est, si nulla voluminis mutatio fieret: apparet o. 8262.

Facta igitur est condensatio, & voluminis decrementum, æquale in pede cubico 18, 831''.

§. LI. En ergo duos liquores, qui si certa quadam proportione coeunt, rarefactionem subeunt, si alia, contra condensationem; quo nihil potest esse mirabilius. Rarefactio tamdiu obtinere videatur, quamdiu oleo citri non satis alcoholis admixtum est, quo plena illius fiat solutio, quæ simulac facta est, condensatio incipit, atque sensim sensimque crescendo major fit, donec rur-

fus gradatim imminuatur. Nempe oleum citrinum recusat alcoholi, quacunque proportione, misceri; sed requirit, ut plenarie solvatur, notabilem alcoholis copiam. Quodsi igitur oleo citri parum alcoholis admisceas, non nisi pars ejus revera solvit, altera pars arctiore unionem renuit. Poteſt equidem, forti concuſſione, ſatis æquabilis obtineri diſtributio, ſed vi- des manifeſte, id ægre fieri, & ſimul atque ceſſas conquaſſare, animadvertis, indiſſolutas olei particulas niſum edere, ut ſemet liberent ab injectis vinculis, & velut repellere nuptas alcoholi particulas. Hinc illa rarefactio in Exp. I. quæ proinde effectus ſolummodo eſſe videtur violentæ per concuſſionem factæ miſtioniſ duorum liquorū ſe mutuo non ferentium; quæque probabiliter eo tantum uſque durat, donec eluctatæ meri olei particulae fundum teneant; quo facto credibile eſt, fi universum liquorū volumen ſpectes, non modo augmenti nihil, ſed vel decrementum aliquod obtinere debere: nam fuam in fundo hærens denſitatem tuetur meracum oleum, ſupernans vero alcohol, olei aliqua copia imprægnatum, condensationis aliquid jam paſſum eſſe fraudent Exp. II & III.

§. LII. Oleum citri per ſpiritum vini ita diſſolutum cum aliis etiam liquoribus miſcuimus; primo quidem cum vino albo gallico, cuius ſpecifica gravitas fuit 1. 0270, quippe in quo bulbus vitreus amifit $104\frac{9}{20}$ gr.

E X P E R I M E N T U M . I.

Sumifimus *vini albi gallici* gr. 800, eique admiſcuimus gr. 200 *Spiritus citri* (§. XXXIII.).

Natus mox iñteſtinus motus & lacteſcentia. Calor auctus 2 gradu 65 ad 71.

Mixti gravitas ſpecifica erat 1. 0049; in eo enim, 69 gra- dibus calente, amifit bulbus vitreus $102\frac{1}{5}$ gr.

Deberet autem, fi mixtio nihil in volumine mutatſet, den- fitas mixti eſſe o. 9926.

Ex quo liquet, factam eſſe condensationem & voluminis de- crementum notabile, conficiens in pede cubico 12, 240'''.

EXPE-

EXPERIMENTUM II.

Priori mixturae, calenti 69 gradibus, assusa sunt gr. 200 *Spiritus citri*, cuius calor 65 grad.

Aucta lactescentia; auctus calor ad grad. 71.

In mixto bulbus vitreus amisit $100\frac{1}{4}$ gr. adeoque specifica ejus gravitas o. 9857, quæ, si nulla voluminis mutatio contigisset, foret duntaxat o. 9710.

Condensatio ergo facta, æqualis in pede cubico 14, 913''' ; dum nempe spiritus citri pars una, vini albi gallici partes duæ, commixta sunt.

§. LIII. Hanc mixturam deinde cum alcoholie combinavimus, instituta prius altera exploratione hydrostatica, postquam per aliquot septimanas bene servata esset. In ea tunc bulbus vitreus amisit $100\frac{1}{2}$ gr. Unde densitas ejus o. 9882, adeoque major, quam fuit ante; indicio, factum esse interea condensationis aliquod incrementum, & penetrandi vim, non tam brevi post mixtionem intervallo, exhaustam fuisse. Conf. §§. XXXVIII & XXXIX.

EXPERIMENTUM.

Mixturae Exp. II. §. LII. gr. 600 admiscui gr. 200 *alcoholis*, ut, quod in illa excussum erat, oleum citri per hoc rursum solvatur.

Limpidior mox factus liquor, retinens tamen aliquid lactescentiæ.

In eo amisit bulbus vitreus $96\frac{1}{4}$ gr. adeoque ejus specifica gravitas = o. 9464, quæ, nisi mixtio in volumine mutasset aliiquid, foret o. 9403. Quod dum supputavi, habui mixturam adhibitam pro liquore simplici, ex cuius densitate (o. 9882), collata cum densitate alcoholis (o. 8210), & proportione, qua commissa sunt, calculum iniit.

Condensatio igitur, in hac mixtione facta, æqualis est in pede cubico 6, 445'''.

§. LIV. *Spiritus citri* porro cum *acido* quodam coniunctus. Erat *Spiritus aceti fortissimus*, cum *creta paratus*, in quo bulbus vitreus amisit 110 gr. cuius ergo densitas 1. 0816.

EXPERIMENTUM.

Spiritus aceti gr. 600, *Spiritus citri* gr. 200, inter se permixta sunt.

Nulla facta effervescentia, neque lactescens, sed cuique sua permanxit limpiditas; auctus tamen calor a gradu 66 ad 68.

In mixto, 67 grad. calente, amisit bulbus vitreus 104 gr. Ergo ejus specifica gravitas 1. 0226, quæ, si mixtio nihil mutationis volumini intulisset, foret 1. 0215.

Itaque parva quedam condensatio hic facta est, æqualis in pede cubico 1, 076'''.

EXPERIMENTUM.

§. LV. Præcedenti mixturæ adjunximus gr. 200 *Spiritus sal ammon. cum calce viva parati* (§. XLVIII. Exp. I.).

Mox nata est effervescentia vehemens; excussi multi vapores; totusque liquor lactescere cœpit. Tum in superficiem excussum oleum limpidissimum, quod in spiritu citri delituerat; inferiore liquore lactescentiam servante. Dum hæc fierent, calor celeriter ad grad. 97 a 68 auctus est.

Calore ad grad. 67 reducto, bulbum vitreum subtiliter trans oleum in liquorem turbulenter laetum immisimus, in quo amisit $105\frac{1}{2}$ gr.

Postea conquaßando miscuimus liquores, quantum potuit fieri, æquabilissime. Immissus mox bulbus vitreus tantundem plane amisit.

Sic stetit per noctem mistura, chartâ tecta. Mane redeentes summam per ownem liquorem limpiditatem, nec guttam olei amplius

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 77

amplius excussi conspicabamur. Bulbus, denuo immersus, tandem denuo de suo pondere amisit.

Ergo hujus mixti specifica gravitas est 1. 0374, quæ, nisi mixtio mutasset volumen, foret 1. 0108, si scilicet mixtum consideretur, tanquam compositum ex 3 liquoribus, spiritu citri, aceti, & salis ammon. Unde consequitur, factam esse condensationem, æqualem in pede cubico 25, 64^{'''}.

Si vero secundam solummodo mixtionem attendamus, habentes mixtum §. LV. pro simplici liquore, cuius 4 partes cum una spiritus salis ammon. in hoc exp. commixta sint: gravitas ejus specifica deberet esse 1. 0116. Hinc constat, quod in altera hac mixtione condensatio fuerit facta, in pede cubico æqualis 25, 504^{'''}.

§. LVI. *Atramentum* porro confecimus, miscendo infusum aquosum vegetabilis adstringentis cum solutione martiali, ut compareat, utrum ista mistio, quæ tam mirabiliter colore & pelluciditatem turbat, volumini etiam mutationem inferat, nec me. Quem in finem *infusum gallarum*, quia paullum spissescerat, admixta aqua ita diluimus, ut etiamnum intense ruberet.

In eo tunc amisit bulbus vitreus 101 $\frac{3}{4}$ gr. adeoque specifica ejus gravitas 1. 0005. *Solutio autem Martis*, qua usi sumus, in spiritu salis facta, eidem bulbo admetit gr. 120 $\frac{3}{10}$; unde ejus specifica gravitas 1. 2094. Cæterum notari expedit, solutionem martialem, quum nimis saturata videretur, aqua item dilutam fuisse; dumque aqua ad misceretur, natum caloris augmentum aliquot graduum, limpiditate non interturbata.

EXPERIMENTUM I.

Recepimus *infusi gallarum* gr. 800, *solutionis martis* gr. 200, eaque inter se accurate confudimus.

Momento natus est color ater, immutato calore.

In atramento, 66 gradibus calente, (quo caloris gradu omnes pensiones in hac §. memorandæ factæ sunt,), bulbus vitreus amisit 105 $\frac{1}{10}$ gr. Adeoque specifica ejus gravitas fuit

i. 0334, quæ, si mixtio nihil in volumine mutasset, foret
i. 0363.

Fuit ergo volumen mixti ad summam voluminum commistorum liquorum, ut 10363 ad 10334. Igitur *voluminis augmentum* factum esse videtur, æquale in pede cubico 2, 806''.

EXPERIMENTUM II.

Atramento sic nato ex 4 partibus infusi gallar. una solutionis mart. admiscuimus 200 gr. *ejusdem solutionis*.

Hinc atramentum intensius nigricabat, calor non mutabatur.

In mixto amisit bulbus vitreus $107\frac{11}{20}$ gr. Quare specifica ejus gravitas i. 0575, quæ, nisi volumen mutationis aliquid esset passum, foret i. 0616.

Proinde volumen increvit etiam, dum duæ partes infusi gallar. cum una solutionis mart. junctæ sunt; & *rarefactio* in pede cubico æqualis est 3, 877''.

EXPERIMENTUM III.

Mixture ita factæ ex 800 gr. *infusi gallar.* & 400 gr. *solut. quart.* intermiscuimus 400 gr. *ejusdem solutionis*.

Phænomena eadem.

In mixto amisit bulbus vitreus $110\frac{11}{20}$ gr. Ejus ergo specifica gravitas i. 0870, quæ, nisi mutatio voluminis contigisset, deberet esse i. 0953.

Itaque cum æqualia infusi gallar. & solutionis mart. pondera coierunt, *rarefactio* contigit, æqualis in pede cubico 7,635''.

Atque hæc experimenta tantâ curâ facta sunt, ut de certitudine eventuum nullus dubitassem, nisi perspectam habem Chemicorum nonnullorum opinionem de modo, quo atramentum per conjunctionem liquoris martialis cum infuso adstringente nascitur. Statuunt illi: fieri per istam miscelam speciem præcipitationis; particulas martiales per vim stipticam

cam infusi vegetabilis a menstruo, quo solutæ erant, abstrahi; & uti solutæ menstruo adeo inhærebant, ut homogeneum & perspicuum cum eo liquorem constituerent, ita nunc attractionis vinculis liberatas, tanquam minima solida, nativa sua opacitate & ferreo colore comparere; hinc & transeuntes lucis radios intercipere, & martialem nigredinem præ se ferre; cæterum tamen non ita plane remotas e sphæra attractionis, ut, quemadmodum in aliis metallorum præcipitationibus accidit, præcipites in fundum ruant. Quæ si vera sint, (sunt autem fatis subtiliter excogitata, nonnullis etiam experimentis confirmantur,) dubius omnino fit periculorum nostrorum eventus, dicendumque est, rarefactionem, quæ facta videbatur, forsan nullam revera fuisse, & methodum nostram, instituendi pensiones hydrostaticas, nobis imposuisse. Excussæ enim illæ particulæ martiales, si modo sint, licet graviores, quam æquales particulæ liquoris, cui innatant, non augent hujus liquoris vim eam, quæ ex gravitate specifica pendet. Hinc si immergatur atramento corpus solidum, id non plus de suo pondere amittet, ob intermixtas particulas martiales, quam si hæ abessent. Atramentum igitur sub volumine illius corporis revera plus ponderis habebit, quam ad pensionem hydrostaticam videbitur. Adcoque si isti pensioni fidimus, densitatem atramenti minorem ponemus, quam revera est. Atque hoc debuit in nostris experimentis fieri, si vera sit illa Chemicorum opinio. Si autem factum est, si ob fallaciā nostrā pendendi methodi specificas mixtorum gravitates justo minores posuimus: dubium est, an revera aliquod voluminis augmentum factum sit, anne omnis rarefactio, quæ apparuit, ex erronea densitatū determinatione originem traxerit. Neque procul sum, quin rem ita se habere credam, quia tantam video conspirationem inter proportiones rarefactionum apparentium & quantitatum excussæ materiæ martialis, ut, quo plus hujus in mixto fuerit, eo major visa sit rarefactio, & tantundem major, quanto major intermixti martis copia. Si enim x exprimat numerum particularum martialium in mixto Exp. I. erit numerus particularum in Exp. III. æqualis $4x$. Illius autem volumen, si calculum ineas, fuit $\approx 1990''$, hujus $\approx 3013''$. Unde patet, partem mixti IIItii Exp. æqualem

lem $\frac{3013}{4}$, hoc est 753'', continuisse totidem particulas martiales, ac integrum mixtum Exp. I. Quare si excusio martialis materiae sola fuit apparentis rarefactionis caussa, necessum est, rarefactionem in Exp. III. fuisse ad eam in Exp. I. ut 1990 ad 753, adeoque circiter ut 19 ad 7. Fuit autem revera ut 76 ad 28. Atque 19: 7 = 76: 28. Qui consensus conceptam suspicionem valde confirmat, Quidquid sit, meretur haec res novis periculis investigari, partim ut plenius elucefcat, num vera voluminis mutatio in confectione atra-menti fiat, partim ut memorata quorundam Chemicorum sententia vel corruat, vel firmius stabiliatur; quod per similia experimenta praestari optime posse videtur.

§. LVII. Enumeravi atque exposui experimenta, in quibus liquores variij inter se committi sunt. Accedo ad illa, in quibus *corpora firma cum fluidis* coniunximus. Usi autem sumus non nisi ejus naturae solidis, quæ certis liquoribus commissa intime solvuntur, ita ut cum iis homogena fluida constituant. Quo factum est, ut majore cum certitudine experimentorum eventus ope calculi evolvere possumus. Initium faciam cum *solutionibus salium in aqua*, in quibus notabiles voluminum mutationes comparebunt. Prius autem, quam ad ipsas mixtiones progrediar, specificas adhibitorum salium gravitates in tabella exhibeo. Ad quas determinandas quum adhibere non potuerimus aquam, in qua omnia salia, citius, lentius, dissolvuntur, usi sumus *oleo terebinthinae*, recenti, fluidissimo, in quo bulbis vitreus amittebat $89\frac{9}{40}$ gr. cujus ergo specifica gravitas o. 8773. Ejus, ut aëris, calor, dum pensiones fierent, erat 63 graduum.

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 81

	Pondus in aëre, in gr.	Pondus amissum in ol. tereb.	Gravitas specifica.
Nitr. purum crystall.	— 244 $\frac{5}{8}$ —	111 $\frac{1}{5}$ —	1. 9299.
Nitr. regen.	— 71 $\frac{23}{40}$ —	33 $\frac{1}{2}$ —	1. 8744.
Nitr. cubic.	— 47 $\frac{5}{8}$ —	22 $\frac{7}{20}$ —	1. 8694.
Sal marin. depurat.	— 47 $\frac{9}{20}$ —	21 $\frac{7}{10}$ —	1. 9183.
Sal febrif. Sylvii	— 83 —	39 $\frac{13}{20}$ —	1. 8365.
Tartar. vitr.	— 54 $\frac{5}{8}$ —	18 $\frac{1}{2}$ —	2. 5904.
Sal polycbr. crystall.	— 85 $\frac{29}{40}$ —	29 $\frac{3}{8}$ —	2. 5602.
Sal mirab. Glaub.	— 27 $\frac{1}{4}$ —	17 —	1. 4063.
Sal ammon. aq. purum	— 40 $\frac{7}{8}$ —	25 $\frac{1}{4}$ —	1. 4202.
Sal ammon. fix.	— 85 $\frac{3}{4}$ —	46 $\frac{13}{20}$ —	1. 6126.
Sal Sedat. Homberg.	— 10 $\frac{1}{2}$ —	6 $\frac{9}{40}$ —	1. 4797.
Sal alcal. vol. sic.			
Ung. equin.	— 20 —	11 $\frac{5}{8}$ —	1. 5093.
Sacchar. Sat. puriss.	— 30 $\frac{3}{8}$ —	11 $\frac{1}{8}$ —	2. 3953.

L

EXPE^s

EXPERIMENTUM I.

Nitri puri crystall. sumsumus gr. 200, immisimusque aquæ gr. 1200.

Mox incepit solutio, bullulis innumeris de superficie nitri adscendentibus; Mercurius in thermometro descendit sensim a gradu 65 ad 60.

Peraacta solutione, in liquore limpido, calente 66 gradibus, bulbus vitreus amisit $111\frac{3}{8}$ gr. Unde solutionis specifica gravitas 1. 0951, quæ, si volumen non esset mutatum, esse debet 1. 0739.

Igitur imminutum est volumen, & *condensatio* facta, æqualis in pede cubico 19, 358".

EXPERIMENTUM II.

Nitri regenerati gr. 200 solvimus in aquæ gr. 1200.

Mercurius sensim, dum solutio fieret, descendit a gradu 66 ad 64, uon ultra.

In solutione limpida amisit bulbus vitreus $111\frac{5}{8}$ gr. adeoque ejus specifica gravitas 1. 0976, quæ, nisi mutatio voluminis facta esset, foret duntaxat 1. 0714.

Proinde *penetratio* in hac mixtione contigit, æqualis in pede cubico 23, 870".

EXPERIMENTUM III.

Nitri cubici gr. 300 solvimus aquæ granis 1200.

Incidente solutione Mercurius momento a gradu 65 ad 63, deinde sensim ad 62 usque descendit.

Solutio limpida, calens 66 gradibus, abstraxit de pondere bulbi vitrei $116\frac{1}{10}$ gr. Sicque monstravit gravitatem specificam

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 83

In 1416, quæ, nisi mixtio mutasset volumen, foret 1. 1026.
Ergo *condensatio* hic facta est, æqualis in pede cubico 34,
162".

EXPERIMENTUM IV.

Salis marini depurati gr. 300 soluta sunt aquæ gr. 1200.
Imminutus calor, durante solutione, a gradu 66 ad 64.

In muria, 66 gradibus calente, amisit bulbus vitreus 116¹⁹₄₀ gr. Hinc ejus specifica gravitas 1. 1452, quæ, nisi volumen mutatum esset, foret 1. 1059.

Unde sequitur, *condensationem* esse factam, æqualem in pede cubico 34, 317".

EXPERIMENTUM V.

Salis febrifugi Sylvii granis 300 assudimus aquæ gr. 1200.
Memento Mercurius descendit a gradu 66 ad 61; deinde paulatim ulterius usque ad 58, quo stetit, sensim rursus, durante solutione, adscendens.

Solutio limpida, calens 66 grad. ademit bulbo vitreo 114²⁹₄₀ gr. Ergo ejus specifica gravitas 1. 1280, quæ, nisi imminutum esset volumen, deberet esse 1. 1002.

Est igitur facta *condensatio*, æqualis in pede cubico 24, 645".

EXPERIMENTUM VI.

Jam *Salis ammoniaci* aquâ puri gr. 300 in aquæ gr. 1200 immisimus.

Mox Mercurius descendit a gradu 64 usque ad 56; hinc tentius ad 52 usque.

In solutione limpida, calente 66 grad. amisit bulbus vitreus 107¹⁹₄₀ gr. adeoque ejus specifica gravitas æquat 1. 0568, quæ, si volumini nihil mutationis accidisset, foret 1. 0629.

L 2

Ergo

Ergo ut in præcedentibus salium solutionibus condensatio semper facta est, ita hic *rarefactio*, adeoque voluminis augmentum, æquale in pede cubico 5, 772''. Mirabilis anomalia!

EXPERIMENTUM VII.

Salis ammoniaci fixi gr. 100 miscuimus cum gr. 1200 aquæ.

Calor mox auctus a gradu 64 ad 68.

Solutio parumper turbidâ, ob particulâs nonnullâs nondum plane solutas, calens 65 grad. abstraxit de pondere bulbi vi-
trei $106\frac{1}{4}$ gr. Quare specifica ejus gravitas 1. 0447, quæ
nisi mixtio volumen mutasset, deberet esse 1. 0301.

Condensatio ergo facta est, æqualis in pede cubico 13, 975''.

EXPERIMENTUM VIII.

Salis mirabilis gr. 300 immisimus aquæ gr. 1200.

Contractus est Mercurius a gradu 64 celeriter ad 62, dein paulatim ad 61 usque.

In solutione limpida, calente 66 grad. amisit bulbus vi-
treus $110\frac{3}{20}$ gr. adeoque gravitas ejus specifica est 1. 0831,
quæ, si volumen non esset mutatum, foret 1. 0613.

Unde patet, obtinuisse hic *condensationem*, æqualem in pede
cubico 20, 127''.

EXPERIMENTUM IX.

Tartari vitriolati crystallisati granis 50 affudimus gr. 1200 aquæ.

Calor mox auctus a gradu 64 ad 65.

Solutio limpida ad calorem 68 graduum monstravit gravita-
tem specificam = 1. 0334; in ea enim amisit bulbus vi-

treus $105\frac{1}{10}$ gr.

Si

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 85

Si autem mixtio non mutasset volumen, foret specifica gravitas tantum 1. 0252.

Proinde *condensatio* atque voluminis decrementum hic etiam contigit, æquale in pede cubico 7, 935''.

EXPERIMENTUM X.

Salis polychresti crystallisati granis 50 admiscuimus aquæ gr. 1200.

Auctus calor a gradu 65 ad 66.

Solutionis limpidae, 68 gradibus calentis, specifica gravitas fuit 1. 0347; nam bulbus vitreus in ea amisit $105\frac{9}{40}$ gr. Debet autem esse 1. 0249, si nulla voluminis mutatio contingisset.

Ergo *condensatio* hic iterum facta, adæquans in pede cubico 9, 471''.

EXPERIMENTUM XI.

Salis sedativi Hombergii gr. 100 immisimus aquæ gr. 1200.

Imminutus calor a gradu 66 ad 63.

Hæc aquæ copia, accidente licet concussione & motu, non par erat solvendo sali. Idcirco addidimus 600 gr. aquæ. Sic stetit mixtura per 14 horas; neque tamen plene solutum est sal. Eapropter vasculo continentí circumfudimus aquam calidam. Sic brevi facta est solutio, quæ ad calorem atmosphæræ, 65 graduum, reducta, monstravit gravitatem specificam 1. 0202; in ea enim bulbus vitreus amittebat $103\frac{3}{4}$ gran.

Quodsi nulla voluminis mutatio facta esset, foret ejus specifica gravitas 1. 0174.

Condensatio ergo aliqua facta est, licet parva, neque in pede cubico major, quam 2, 744''.

Quum vix per $\frac{1}{2}$ horæ quadrantem stetisset solutio, atmos-

sphæra 65 grad. calente, jamjam in fundum atque ad superficiem excussa sunt salina spicula, novam crystallisationem indicantia. Annon itaque *boc sal ad sui solutionem plus aquei mensuræ requirit, quam ullum cognitorum, excepto borace?* Quod in transitu hic adverto.

EXPERIMENTUM XII.

Sacchari Saturni purissimi granis 100 admiscuimus aquæ gr. 1200.

Auctus calor a gradu 64 ad 65.

Solutio parum lactescens, a particulis forsan nondum penetratus solutis, in calore 65 graduum, exhibuit gravitatem specificam 1. 0546; nam in ea bulbus vitreus amisit $107\frac{1}{4}$ gr. Si mixtio nullam mutationem volumini induxisset, foret gravitas specifica 1. 0496.

Itaque *condensatio* facta est, exæquatura in pede cubico 7, 301'''.

EXPERIMENTUM XIII.

Tandem & *salis alcal.* volat. *sicci unguæ equine, albissimi,* gr. 100 immisimus aquæ gr. 1000.

Descendit Mercurius a gradu 64 ad 59.

In solutione limpida, 65 gradibus calente, amisit bulbus vitreus $105\frac{9}{20}$ gr. adeoque specifica ejus gravitas 1. 0369, quæ, nisi mixtio volumini aliquid attulisset mutationis, foret 1. 0316.

Igitur quædam etiam hic contigit *penetratio* & voluminis immutatio, exæquatura in pede cubico 5, 111'''.

§. LVIII. Quæ experimenta si quis curatius perlustret, permulta inde haurire poterit cum thema nostrum spectantia, tum ipsam singulorum salium naturam declarantia. Nos pauca inde delibabimus, brevitatis studiofi.

1. Omnia *salia media*, quæ examinavimus, (examinavimus autem

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 87

autem cognitorum pleraque,) si in aqua solvuntur, non simplici particularum appositione cum aqua coalescunt, sed notabilem subeunt penetrationem; unde solutionis volumen minus semper est, quam salis & aquæ volumina seorsim considerata.

2. Excipitur solus *sal ammoniacus*, qui non modo condensationem non patitur, ubi per aquam solvit, sed vel rarefactionem cum aqua subit, ita ut volumen solutionis majus sit, quam summa voluminum aquæ & salis exhibitorum. Quod eo est mirabilius, quia sal ammon. dum in aqua liqueficit, majorem, quam ullus aliis, caloris imminutionem producit. Quo autem plus decrescit ignis gradus, eo magis corpora contrahi & minora in spatio coarctari, observationes generatim docent. Sed generales illas mutationes, quas calor & frigus in corporibus producunt, non posse ad mixtiones transferri, jam satis præcedentia experimenta demonstrarunt.

3. Est discrepantia ingens inter *facultates penetrandi* diversorum salium, & unus longe majorem cum aqua condensationem subit, quam alter, licet eadem proportione in aqua solutus. Neque dici potest: sal, quo densius aut rarius est, eo minorem aut majorem cum aqua penetrationem subire. Docet Exp. I. cum II. comparatum; ut & Exp. III. IV. V. VIII. inter se collata.

4. Mirabile omnino est, quod *nitrum verum*, licet specificè multo gravius *nitro regenerato*, in aqua liqueficens, levius producat mixtum, quam *nitrum regeneratum*, eadem proportione in aqua solutum; & proinde longe minorem subeat condensationem, quam hoc. Quænam est hujus rei caufa? Idem in utroque sale acidum est, idem alcali. Sed *nitrum verum*, quod a natura, adjuvante arte, paratur, continet praeterea aliquid terræ calcariæ, quæ in *regenerato*, quod ars sola conficit, non est. An hæc efficit, tum ut *nitrum verum* gravius sit *regenerato*, tum ut minus sit penetrabile? Ita videtur. Et hæc penetrabilitatis differentia an etiam respectu humorum corporis humani obtinet? Non improbabile.

5. Simile discrimen observavimus quoque inter *Tartarum vitriolatum* & *Sal polychrestum*, inter quæ discrepantia etiam minor est, quoad principia constituentia. *Sal polychrestum* speci-

specifice levius dedit solutionem graviorem, quam *tartarus vitriolatus* specifice gravior. An illius major penetrabilitas oriatur ab adhærente etiamnum particula materiæ inflammabilis, quæ ei velut saponaceam naturam conciliat?

6. Idem *acidum* prout per diversas *alcalium* species saturatum & in media salia conversum est: ita diversos penetrabilitatis gradus adipiscitur. *Sal marinus* & *sal febrifugus Sylvii* idem acidum continent. Ille tamen multo majorem, quam hic, cum aqua penetrationem subit. In illo *acidum salis* saturatum per *alcali fixum fossile*, in hoc per *vegetabile*.

7. Sed idem *acidum salis* cum *alcali volatili* conjunctum constituit *salem ammoniacum*, qui vim rarefaciendi aquam habet. Singularissima mutatio! quum & ipse *spiritus salis* & *alcali volatile*, cum aqua singulatim juncta, condensationem subeant. Ergo idem acidum pro diversitate *alcalium*, quibus imbuitur, non modo diversas penetrandi facultates, sed subinde etiam rarescendi cum aqua vim adquirit.

8. *Alcali fixum fossile* videtur acidis majorem penetrandi vim conciliare, quam *alcali fixum vegetabile*. Docet *sal marinus* cum *febrifugo Sylvii* comparatus (n. 6). Confirmare videtur *Nitrum cubicum* cum *nitro vero collatum*. Conf. Exp. III. & I.

Quam pulchra hæc sunt! & nova! & notatu dignissima, pro Chemicis, pro Medicis! Mitto alia multa, quæ ex iisdem experimentis deduci possunt. Naturæ scrutatoribus gratulor de novo artificio, singulares corporum proprietates, relationes, vires, mixtionis deinde efficaciam, modos, leges indagandi!

§. LIX. Solutiones salium diversorum, quæ dicto modo paratae erant, inter se combinare, operæ pretium videbatur. Idcirco duo in eam rem tentamina cepimus.

EXPERIMENTUM I.

Nitri regenerati aquæ sextuplo soluti (§. LVII. Exp. II.) gr. 600, totidemque grana *salis ammon. fixi duodecuplo aquæ soluti* (§. LVII. Exp. VII.) inter se commiscauimus.

Calor non auctus nec imminutus.

In mixto amisit bulbus vitreus $108\frac{17}{20}$ gr. Ergo ejus specifica gravitas 1. 0703, quæ si a priori determinetur, supponendo nullam fieri voluminis mutationem, comparet 1. 0704. Unde concludimus, revera nihil in volumine per hanc mixtionem mutatum esse.

EXPERIMENTUM II.

Solutionis nitri cub. (§. LVII. Exp. III.) gr. 600, & totidem soluti salis sedat. Homberg. (§. LVII. Exp. XI.) confudimus.

Calor inde non mutatus.

In mixto amisit bulbus vitreus $109\frac{7}{10}$ gr. Unde specifica ejus gravitas 1. 0787, quæ, si volumen non fuisset mutatum, deberet esse 1. 0775.

Per hanc ergo mixtionem facta est etiamnum *condensatio*, æqualis in pede cubico 1, 112'''.

An particulae quædam salis sedativi, solutu difficultissimi, indissolutæ natantes, per hanc miscelam solutæ sunt, & istam condensationem produxerunt?

An ergo plenariae salium mediorum solutiones si miscentur, se mutuo non penetrant? Verisimile. Per experimenta tamen ulterius confirmandum.

§. LX. Cel. HAMBERGERUS experimento didicit: *Camphoræ & spiritus vini summam non majorem ante, quam post solutionem esse* (§. II.). Nos simile periculum, nostra methodo, fecimus, quo illud confirmatur. *Camphora rafinata*, qua usi sumus, pendens in aëre $176\frac{7}{8}$ gr. amittere videbatur in aqua pluvia, cuius densitas respectu nostræ destillatae fuit 1. 0029, gr. 180. Proinde specifica ejus gravitas 0, 9855.

EXPERIMENTUM.

Camphora gr. 100 assudimus in phiala vitrea, munda, epi-

M

flo-

stomio vitreo mox claudenda, *alcobolis* (§. XX.) gr. 960.

Nata est absque turbulentia brevi solutio limpidissima, in qua bulbus vitreus amisit $84\frac{7}{8}$ gr. ita ut ejus specifica gravitas esset o. 8345, quæ, si nihil mutationis volumini accidisse ponas, ex calculo constituitur o. 8341.

Unde constat, factam quidem esse sub ista solutione aliquam voluminis imminutionem, sed perquam exiguum, & pro nulla habendam.

§. LXI. Cum *Sulphure* etiam tentamina quædam ineunda erant. Adhibuimus autem *flores sulphuris*, quia puriores. Horum densitas, quum aqua leviores sint, ut determinetur, nova methodo opus erat. Idcirco adneximus lanci cylindrum cavum, ex orichalco confectum, & ex hoc suspendimus alterum cylindrum, solidum, e simili materie confectum, priori exactissime congruentem (a). Cum hoc apparatu quæsivimus follicite, injectis alteri lanci pondusculis, in aëre aperto æquilibrium. Tum cylindrum solidum in aquam pluviam immisimus, quæ de ejus pondere abstraxit $322\frac{1}{2}$ gr. Hoc ergo pondus est aquæ pluviae sub volumine cylindro æquali. Extracto deinde cylindro de aquis, replevimus exactissime cavitatem superioris cylindri floribus sulphuris, densando compri mendoque, quantum fieri potuit. Aequilibrium postea dederunt $303\frac{1}{2}$ gr. Igitur *flores sulphuris* pendent sub volumine ejusdem cylindri $303\frac{1}{2}$ gr. Eorum ergo densitas est ad densitatem aquæ pluviae ut $303\frac{1}{2}$ ad $322\frac{1}{2}$; unde gravitas specifica ex

$$\text{nostro calculo } \frac{303\frac{1}{2} \times 10029}{322\frac{1}{2}} = o. 9438.$$

Ex

(a) Vide apparatus hujus descriptionem & icones in Elem. phys. Celsi GRAVESANDÆ t. I. §. 1488, 1489. Tab. 49.

EXPERIMENTUM.

Accepimus florū sulphuris dr. iv. olei terebinthinae (LVII.) unc. viij. Immissa in phialam vitream, longissimo angustoque collo præditam, & rite commista, ebullierunt leniter per horulam. Ita soluti flores sulphuris oleo terebinthinae ruberrimum colorēm conciliarunt.

In solutione, 64 gradibus calente, amisit bulbus vitreus $91\frac{9}{10}$ gr. Unde specifica ejus gravitas o. 9036, quæ, nisi mixtio volumen commutasset, foret tantum o. 8810.

Proinde facta est per hanc solutionem *condensatio*, æqualis in pede cubico 25, 011''.

§. LXII. Jam & cum Mercurio junximus flores sulphuris. Illius autem prius determinavimus gravitatem specificam, quæ fuit 13. 6520. Namque ejus gr. 1000 amiserunt in aqua pluvia $73\frac{17}{40}$ gr.

EXPERIMENTUM.

Mercurii vivi gr. 180 commiscui in mortario vitro cum gr. 60 florū sulphuris, protracta per duas fere horas trituratione, donec omnis penitus mercurius disperuerit.

Sic natus pulvis nigricans, quem *Æthiopem mineralēm* vocant Chemici.

Cujus gravitas specifica ut rite determinaretur, opus fuit difficulti & diurna operatione. Licet enim trituratio pulveris diutissime fuerit protracta, & æthiops æquabilissimam ubique nigredinem præ se ferret: longe tamen absuit, quin omnes particulae sulphureæ æquali mercurii quantitate fuerint imprægnatae. Nam momento, quo aquis immergebatur, subtilior pars fecedebat, superficiem & latera petens; nec ullo artificio ad descensum adigi poterat. Ut tamen certi aliquid definiretur, ponderavimus in aëre 100 gr. æthiopis; haec dein in vasculum vacuum immisimus, superaffusaque aquæ parca

copia madefecimus strenue; pulverem supernatantem torsimus tamdiu triturando, donec pro magna parte pessum iverit. Quidquid deinceps in superficie adhucdum & ad latera hærebatur, abstulimus follicite, quod siccatum, ponderatum, fuit 2 gran. *Æthiops* in fundo vasculi hærens, cuius pondus adeoque fuit 98 gr. amisit in aqua pluvia 44 gr. Proinde specifica ejus gravitas 2. 2337, quæ, nisi mixtio mutasset volumen, debuisset esse 3. 1267.

Volumen itaque *æthiopis* fuit ad volumina *sulphuris* & *mercurii* simul sumta ante miscelam, ut 31267 ad 22337. *Rarifatio* igitur contigit, & voluminis augmentum, æquale in pede cubico 39, 978".

Mirus eventus! qui egregie confirmat conjecturam, quam de *cinnabari* proposuimus (§. XIII.). Ex hoc enim *æthiopis*, simplici sublimatione, paratur *cinnabaris*. Unde mirum non est, quod longe minus sit specificum *cinnabaris* pondus, quam magna *mercurii* ad *sulphur* proportio exigere videtur.

De vi experimenti ne quis dubitet; licet non omnino æquabilis fuerit mixtio. Nam particulas duntaxat densiores ponderavimus, leviores abstulimus, quæ si illis junctæ manfissent, sine dubio *æthiopem* adhucdum leviorē redidissent.

§ LXIII. Metalla porro, per sua *menstrua* soluta, examini subjecimus. Enī metallorum adhibitorum specifica pondera:

	Pondus in aëre:	Pondus amissum in aq. pl.	Gravitas spe- cifica:
<i>Cuprum</i>			
<i>tubrum</i>	— 16 $\frac{37}{40}$ gr.	— 1 $\frac{39}{40}$	8. 5945-
<i>Cuprum</i>			
<i>flavum</i>	— 24 $\frac{7}{10}$	— 4	6. 1939.
<i>Stannum</i>			
<i>malacc.</i>	— 120	— 19 $\frac{13}{20}$	6. 1256.
<i>Plumbum</i>			
<i>indicum</i>	— 265	— 23 $\frac{27}{40}$	11. 2259.
<i>Argentum</i>			
<i>vivum</i>	— 1000	— 73 $\frac{17}{40}$	13. 6520.

EXPL.

EXPERIMENTUM I.

Mercurii gr. 50 immisimus phialæ vitreæ, mundæ; affudimusque *spiritus nitri aquæ duplo diluti* gr. 1150. (§. XXXV. Exp. III.)

Mox nata est levis liquoris turbatio; millenæ bullulæ de rotunditate mercurii prodeentes rursum volabant. Phiala epistomio vitreo interea exacte clausa. Post aliquot horas mercurius omnis perfecte solutus.

Solutio limpidissima, excolor, monstravit gravitatem specificam = 1. 2232; adimens quippe bulbo vitro 124 $\frac{2}{5}$ gr.

Si nulla volumini mutatio illata esset, foret gravitas specifica = 1. 2187.

Facta proinde est *condensatio* quædam, licet parva, æqualis nempe in pede cubico 3, 678''.

Simile cepit experimentum Cel. HAMBERGERUS; similemque vidit voluminis mutationem (§. II.).

EXPERIMENTUM II.

Stanni malaccensis gr. 50 affudimus aquæ regiæ gr. 1000.

Facta est noctis spatio solutio limpidissima, plenaria quoque, nisi quod flocculi quidam nigri, non stannei, supereffent, qui sollicite separati ponderarunt 3 grana. Proinde pondus soluti stanni fuit duntaxat 47 gr.

In solutione, calente 63 grad. amisit bulbus vitreus 122 $\frac{7}{8}$ gr. Unde specifica ejus gravitas 1. 2082, quæ, nisi per solutionem mutatum esset volumen, foret tantum 1. 2046. Nam aqua regia, qua usi sumus, facta destillando *spiritum nitri glau-berianum* super *sale communi*, ademit bulbo 118 $\frac{1}{20}$ gr. adeoque specificum ejus pondus 1. 1608.

Facta est itaque *condensatio*, æquatura in pede cubico 2, 980'''.

EXPERIMENTUM III.

Spiritus urinæ recentis rectificati granis 400 in urinali mundo injecta sunt cupri rubri gr. 30.

Spiritus specifica gravitas 1. 1052; quum in eo bulbus vitreus amiserit 112 $\frac{2}{5}$ gr.

Extraxit hic noctis spatio saturatissimum colorem cyaneum de *cupro*; dum tamen non nisi 2 gr. dissolverit.

In solutione amisit bulbus vitreus minor (§. XXXV. Exp. I.) gr. 6 $\frac{3}{8}$; quare gravitas specifica ejus 1. 1184, quæ, si volumen per mixtionem non esset mutatum, foret duntaxat 1. 1100.

Condensatio igitur hic contigit, æqualis in pede cubico 7,510'',

EXPERIMENTUM IV.

Cupri rubri gr. 50 affudimus *aqua fortis*, vulgo venalis, (§. XLVI.) gr. 1200.

Mox incepit effervescentia vehementior; excussi fumi rubri, præsentiam nitrosi veneni testantes; prodire de omni puncto cupræ superficie bullulæ sursum volantes; mutatus sensim color aquæ fortis in pulcre thalassinum; & intra duas horas perfecta solutio facta.

In ea amisit bulbus vitreus 130 $\frac{1}{2}$ gr. Proinde specifica ejus gravitas 1. 2832, quæ, nisi mixtio mutasset volumen, deberet esse 1. 2676.

Facta adeoque est *condensatio*, æqualis in pede cubico 12,157.

EXPERIMENTUM V.

Cupri flavi gr. 50 immisimus in *aqua fortis* (§. XLVI.) gr. 1200.

Eadem apparuere, & brevi tempore plena facta est solutio.

Amisit

Amisit bulbus vitreus in solutione gr. $129\frac{7}{8}$; adeoque specifica ejus gravitas 1. 2770, quæ, si per mixtionem non mutatum esset volumen, foret 1. 2647.

Proinde facta hic est *condensatio*, æqualis in pede cubico 9, 632''.

§. LXIV. Horum experimentorum tria posteriora si paulo subtilius evolvantur, calculo in auxilium tracto, demonstrant stupendum aliquid: nimirum eam esse cupri proprietatem, ut, dum in aqua forti aut spiritu alcalino volatili solvitur, non modo totum intra menstruum absorbeatur, sed & ipsum in super menstruum in minus volumen coarctari faciat; ita ut, si sumas v. g. Sextarium menstrui, immittasque particulam proportionatam cupri, facta lenissime solutione, mixti volumen non modo sextario non sit majus, licet materies cuprea acceperit, sed vel minus etiam. Quod ut clare pateat, contemplemur Exp. III. In eo volumen menstrui fuit ad volumen soluti metalli, ut 400×8.5945 ad 2×1.1052 , h. e. circiter ut 1555 ad 1. Adeoque volumen cupri fuit duntaxat æqualis $\frac{1}{1555}$ voluminis menstrui. Proinde si per solutionem omne cuprum intra menstrui poros receptum esset, condensatio atque voluminis decrementum exæquare debuisset $\frac{1}{1555}$ summæ voluminum menstrui & metalli adhucitorum. Fuit autem æqualis $\frac{1}{133}$; hinc duodecies fere major, quam plenaria solvendi introsusceptio requireret. Pari ratione in Exp. IV. condensatio duplo major fuit, quam debuisset, si tantum omne cuprum intra aquam fortem absorptum esset. Quin in ultimo etiam experimento paulo major est; sed discrimin parvum. Si priora experimenta simili modo perlustres, in nullo eorum simile quid deprehendes; ne quidem plenariam alterutrius ingredientium in alterum penetrationem. An ergo dicemus: *cuprum vim velut adstringentem in menstrua sua exserere, & particulas cupreas non modo intra poros aquæ fortis recipi, sed receptas etiam efficere, ut particulae aquæ fortis magis constringantur, & proprius ad se mutuo tractæ arctius super illas conglobentur?* An potius statuemus, *cuprum*, dum solvitur, excutere de *menstruis*

struis subtilem aliquam materiem, qua dissipata particulæ *mensemstrui* necessario in minus volumen collabantur, densitas vero tantundem increscat? Posterioris mechanicis magis placebit philosophis; prius naturæ rei magis congruum videtur. At castitas ratiocinii vetat, ne quid certi temere stabiliamus in re, quæ accuriori examini relinquenda.

§. LXV. *Metalla* quoque aliquot cum *mercurio* combinavimus, quod *amalgamare* vocant Chemici. Eorum gravitates specificas vide §. LXIII.

EXPERIMENTUM I.

Stanni malaccensis gr. 200 fudimus lenissimo igne, in cochleari ferreo, eique intermiscaimus *mercurii* totidem grana.

Amalgama, reductum ad calorem aëris, 64 grad. ponderavit in aëre $399\frac{1}{40}$ gr. amisit in aqua destillata $42\frac{1}{2}$ gr. Unde specifica ejus gravitas 9. 3947, quæ, nisi penetratio facta esset, foret duntaxat 8. 4678.

Contigit ergo *condensatio*, æqualis in pede cubico 98, 662''. Adeoque volumen metallorum per hanc mixtionem fere $\frac{1}{10}$ immutatum est.

Exemplum bacchanus sine pari, quoad penetrationis magnitudinem!

EXPERIMENTUM II.

Præcedentis experimenti mixto, leni igne liquefacto, admiscuimus 100 gr. *Mercurii*.

Amalgama ad calorem 64 graduum reductum, & ab impuritatibus purgatum, ponderavit in aëre 497 gr. Amisitque in aqua destillata $49\frac{3}{4}$ gr. Adeoque specifica ejus gravitas 9. 9899, quæ, nisi mixtio immutasset volumen, foret 9. 1534.

Facta itaque *condensatio*, & voluminis decrementum, æquale in pede cubico 83, 734''.

EXPE

EXPERIMENTUM III.

Plumbi indici, lenissimo liquefacti igne, granis 200 admis-
cuiimus totidem grana Mercurii.

Amisit massa de suo pondere sub operatione gr. 3.

Amalgamatis frustum in aere pendens 142 gr. amisit in aqua
destillata $11\frac{7}{20}$ gr. Ejus ergo specifica gravitas 12. 5110, quæ,
si volumen per mixtionem non esset mutatum, foret 12. 3207.

Proinde facta est *condensatio*, atque voluminis imminutio, æ-
qualis in pede cubico 15, 210''.

*Mirabile, quod Plumbum tam parvam cum Mercurio penetratio-
nem subeat, si comparatur cum ea, quam Stannum subit. Di-
frentia penetrationum triplo major ad minimum est, quam poro-
rum.*

§. LXVI. Pervenimus tandem ad *miscelas corporum solidorum
inter se mutuo*; quorum cum densissima & huic scopo aptissima
sint *metalla*, iis solis usi sumus (a). Sub nomine metallorum
autem comprehendo illa etiam corpora, quæ vulgo *semimetalla*,
rectius *metalla fragilia* vocantur. Omnium gravitates specificæ
prius exhibendæ sunt, quam ad ipsas combinationes recensem-
das progredamur.

(a) Memorabilis est locus RICHARDI DAVIES in *transact. phil. loco
supra citato* (§. XIII.), ubi suspicionem de volumine metallorum, per mix-
tionem immutando, conceptam problematice propónit: *It might possibly be
querried also, whether several mixed metals do not either rarify or condense
upon mixture, so as thereby to acquire a different specific gravity, than the na-
tural law of their composition at first seems to require.* Quem locum hic ad-
ducendum putavi, partim quia introductionis loco est ad sequentia experi-
menta, partim quia ad historicam thematis nostri cognitionem pertinet,
docens quippe, in ipsa *Anglia*, quæ philosophiæ experimentalis mater est,
ante biennium circiter, quando scriberet Auctor, nondum de mixtionis vo-
lumina mutandi vi, enucleatus cogitatum, nec quidquam periculi, si excipias
HOOKIANUM (§. VI.), aut factum aut notum fuisse; siquidem DAVIES
ille omnia, quæ de ponderibus corporum tam simplicium quam composi-
torum scripta prostant, sollicita cura perlustrasse videtur.

	Pondus in aëre in gr.	Pondus amissum in aq. dest.	Gravitas specificat:
<i>Aurum purissimum</i>	— 403 $\frac{3}{5}$ —	20 $\frac{27}{40}$ —	19. 5211.
<i>Argentum purissimum</i>	— 136 —	12 $\frac{9}{10}$ —	10. 5426.
<i>Plumbum</i>	— 76 $\frac{7}{20}$ —	6 $\frac{3}{4}$ —	11. 3111.
<i>Cuprum japonicum</i>	— 280 $\frac{11}{20}$ —	32 $\frac{3}{20}$ —	8. 7263.
<i>Stannum anglic.</i>	— 124 $\frac{3}{4}$ —	17 $\frac{1}{20}$ —	7. 3167.
<i>Bismuthum</i>	— 1120 —	115 —	9. 7391.
<i>Zincum indic.</i>	— 223 $\frac{9}{40}$ —	30 $\frac{19}{20}$ —	7. 2124.
<i>Regulus Antimonii purissimus</i>	— 1279 $\frac{1}{2}$ —	190 —	6. 7342.

EXPERIMENTUM I.

Sumsumus *Plumbi* gr. 200, totidemque *Reguli Antimonii*, ea-
que in cochleari ferreo, mundo, liquefacta miscuimus.

Mixtum, rescissis inæqualitatibus marginum, ponderavit in
aëre 385 $\frac{1}{2}$ gr. in aqua destillata vero amisit 46 $\frac{3}{8}$ gr. Unde
eficitur specifica ejus gravitas 8. 2949, quæ, nisi per misce-
lam volumen mutatum esset, debuisset esse 8. 4422.

Fuit igitur volumen mixti ad summam voluminum metallorum ante mixtionem, ut 84422 ad 82949. Unde sequitur,
contigisse sub miscela *voluminis augmentum*, æquale in pede cu-
bico 17, 757''.

Notas.

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 99

Notandum: in hoc periculo opus fuisse tanto igne ob refractariam reguli indolem, ut materies jamjam fumare inciperet; quod tamen, restincto mox calore, per brevissimum duntaxat tempus duravit.

EXPERIMENTUM II.

Plumbi & Bismutbi ana gr. 350, lenissimo, quantum potuit, igne inter se confusa sunt.

Mixtum in aëre pendens $691\frac{1}{2}$ gr. amisit in aqua destillata $68\frac{9}{20}$; unde specifica ejus gravitas 10. 0941, quæ, nisi mixtio mutationem volumini induxisset, foret 10. 4664.

Ergo rarefactio contigit atque voluminis expansio, æqualis in pede cubico 36, 883''.

EXPERIMENTUM III.

Stanni gr. 200, totidemque *Reguli Antimonii* fusione miscuimus.

Mixtum dum etiamnum calesceret, tam erat friabile, ut in unam conformari massam non potuerit; frigefactum induruit.

Frustum in aëre pendens $108\frac{5}{8}$ gr. in aqua amisit $15\frac{3}{4}$ gr. Adeoque specifica ejus gravitas 6. 8968, quæ, nisi per misceliam mutatio inducta esset volumini, foret 7. 0134.

Facta est proinde voluminis expansio, in pede cubico exæquatura 16, 906''.

EXPERIMENTUM IV.

Stanni gr. 200 liquefacta commiscuimus cum totidem granis *Bismutbi*.

Mixtum in aëre pendens $399\frac{1}{4}$ gr. in aqua amisit $49\frac{1}{5}$
N 2 gr.

100 DISSERTATIO PHYSICA

gr. Hinc specifica ejus gravitas 8. 1158, quæ, si nulla voluminis mutatio facta esset, foret 8. 3559.

Ergo & hic *rarefactio* contigit, & voluminis tantum augmentum, ut in pede cubico efficiat 29, 584''.

EXPERIMENTUM V.

Stanni gr. 220, totidemque *Zinci*, liquefacta inter se miscuimus.

Mixtum in aëre ponderans $438\frac{1}{2}$ gr. amisit in aqua $63\frac{1}{2}$ gr. Unde specifica ejus gravitas 6. 9055, quæ, nisi mixtio mutationem volumini intulisset, deberet esse 7. 2642.

Tanta proinde per hanc miscelam facta est *rarefactio*, & voluminis augmentum, ut in pede cubico efficiat 51, 944''.

Notabile, quod *densitas mixti minor longe fuerit*, quam *componentium metallorum levioris*. Idem antea observavimus in duobus liquoribus inter se permistis (§. XLVIII. Exp. III.).

EXPERIMENTUM VI.

Plumbi gr. 200, totidemque *Stanni*, liquefacta inter se miscuimus.

Si nulla volumini mutatio inducta est, debet mixti specifica gravitas esse 8. 8856.

Ponderavit mixtum in aëre 391 gr. rescissis inæqualitatibus, amisit in aqua destillata 44 gr. Quare vera ejus specifica gravitas 8. 8864.

Est ergo aliqua quidem *condensatio* facta, sed perparva, nec superans 90'' in pede cubico.

EXPERIMENTUM VII.

Stanni anglici gr. 1350, *Cupri japanici* gr. 135, in cochleari ferreo, tecto, liquefacta commiscuimus.

S*i*

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 101

Si nulla voluminum mutatio facta, debet mixti specifica gravitas esse 7. 4258.

Frustum ejus ir aere pendens $617\frac{7}{8}$ amisit in aqua destillata 82 gr. Ergo specifica gravitas revera 7. 5350.
Unde cognoscimus, factam esse *condensationem*, aequalem in pede cubico 14, 492''; adeoque volumen metallorum per mixtionem circiter $\frac{1}{68}$ imminutum.

EXPERIMENTUM VIII.

Argenti purissimi, ex luna cornea reducti, gr. 136, totidemque *Auri* purissimi, per plures annos cum *Mercurio* digesti, deinde vi ignis ab eo liberati, in crucibulum mundum, *boreac* prius inunctum, immisimus, adiecta etiam aliqua *boreacis* particula, ut fluxus tanto esset facilior. Crucibulum teatum igni exposuimus sensim aucto, donec lucide canderet; candens per $\frac{1}{4}$ horae circiter reliquimus, ut intima & aequalis metallorum miscela fieret.

Mixtum in aere pendens $272\frac{3}{8}$ gr. amisit in aqua destillata $20\frac{1}{4}$ gr. adeoque specifica ejus gravitas = 13. 4506, quæ, nisi volumini per mixtionem mutatio illata esset, foret = 13. 6911.

Proinde mixti volumen est ad summam voluminum metallorum adhibitorum, ut 136911 ad 134506. Est igitur *augmentum voluminis* sub miscela factum, aequans sere $\frac{1}{56}$ voluminum *Auri* & *Argenti* simul sumtorum, adeoque in pede cubico conficiens 17, 880''.

Confirmandi eventus mirabilissimi cauffa, mixtum cum ab una parte asperius esset, inter malleum & incudem politissimam complanatum, examini hydrostatico altera vice subjectum est. Pon-

deravit in aëre $272\frac{1}{3}$ gr. amisitque in simili aqua $20\frac{1}{4}$ gr. Quo
egregie corroboratur experimentum.

§. XVII. Si ulla corpora, sive *metalla* merentur inter se
componi, eo animo, ut, quid mixtio in mutandis eorum volu-
minibus valeat, cernatur. Inde enim quam plurima in usus
publicos disci posse credibile est: quippe non alia corpora aut
frequentiores aut majores utilitates adferunt. Doleo idcirco,
quod nondum plura cum iis experimenta capere potuerim;
præsertim cum pauca, quæ instituimus, tam singulares & in-
exspectatas proprietates nobis offerant.

1. Quoties *metallum fragile* cum *ductili* quodam, *Plumbo* ni-
mirum aut *Stanno*, conjunximus, toties *rarefactio* contigit, &
volumen mixti majus fuit, quam volumina metallorum ante
miscelam simul sumta.

2. Metallorum fragilium levissimum, *Regulus Antimonii*, mi-
norem rarefactionem, quam graviora, cum ductilibus metallis
subiit; &

3. Notabile, quod cum *Plumbo* & *Stanno* fere æqualem subie-
rit rarefactionem; licet *Stanno* multo densius sit *Plumbum*.

4. *Bismutum* vero, fragilium gravissimum, cum *Plumbo* longe
majorem, quam cum *Stanno*, subiit.

5. Neque tamen inde inferri debet: metalla fragilia si cum
ductilibus miscentur, eo majorem rarescentiam producere, quo
sint specifice graviora. Nam *Zincum*, quod est densius *Regulo*
Antimonii, rarius *Bismutbo*, dum *Stanno* immisciimus, rarefactio
multum major fuit, quam ubi *Bismuthum* cum *Stanno* jun-
geremus.

6. An metalla fragilia, cum quibuscumque demum ductilibus coeunt,
semper voluminis augmentum producunt? Haud improbable. De
Zinco cum *Cupro* commisto id affirmare audeo, licet periculum
nondum fecerim: quoniam *Cupri flavi* minorem quam *Zinci* den-
sitatem deprehendimus. (§. LXIII.)

7. Metalla fragilia ductilibus fragilitatem conciliant. Anne
bae fragilitas ductilissimis corporibus illata, & subnascens simul ra-
refactio, quum ex eadem miscela profluant, ex una etiam eademque
causa pendent? Aut se habent ut causa & effectus? ita ut ob
illam rarefactionem partes minimæ a se mutuo disceptæ magis-
que

que remotæ tenacitatem illam cohærendi amittant, quæ ductilitatem constituit.

8. *Plumbum* cum *Stanno* simplici particularum minimarum applicatione coire videtur: nam minima illa condensatio nullius momenti. Quod ideo maxime miror, quia *Plumbum* cum denissimo *Mercurio* satis notabilem penetrationem subit. (§. LXV. Exp. III.)

9. *Cuprum* cum *Stanno* si misceatur, fit quidem condensatio, & satis insignis voluminis imminutio, sed ne comparanda quidem cum illa, quam prædicarunt auctores (§. IV & V.). An forsan alia metallorum proportione usi sunt? Plus *Cupri* si adhibeat, commixtio vix fieri potest: quia *Cuprum* tam violentum, ut fundatur, ignem postulat, *Stannum* tam leni destruitur. An potius errorem in comparandis voluminibus commiserunt? Videtur.

10. Nihil mirabilius, quam quod *Aurum* & *Argentum* in se mutuo insinuata rarecant, & mixta majus volumen ostendant, quam separata. Anne hinc discrepantia structuræ interioris & particularum constituentium elucescit? Major, quam vulgo creditum est.

COROLLARIA GENERALIA.

§. EXVIII. Ex tota hac historia experimentali puto hæc corollaria deduci posse, tanquam certissime demonstrata:

1. *Corpora diversæ indolis, firmæ, fluida, dum inter se miscentur, raro idem servare volumen post mixtionem, quod habuerunt antea;*

2. *Sed frequenter per miscelam in minorem molam compingi;*

3. *Alias etiam in majus spatum expandi.*

4. Falso igitur esse, si universaliter enuncietur, dogma physicum: *volumen mixti æquale voluminibus corporum componentium simul sumtis.* Hinc caute limitandum nec unquam pro vero principio adhibendum.

5. Exceptionem proinde pati axioma mathematicorum: *totum æquale esse omnibus suis partibus simul sumtis.* Nam volumen mixti, quod tanquam totum considerari potest, non semper magnitudine æquat volumina partium constituentium simul sumtas; sed his saepius minus, interdum majus est. Ut ergo sua axiomi servetur dignitas, distinguere oportet inter partes, in quas mixtum resolvi aut e quibus componi *mechanice* potest, & il-

las,

tas, in quas resolvitur aut e quibus componitur *arte chemica*. Illis simul sumtis semper æquale est totum; his non item, saltem quoad volumen, quin & forsitan subinde quoad pondus (§. XEVII. Exp. IV.).

6. Illæ *voluminum mutationes*, dum per mixtiones fiunt, sequuntur *certas leges*:

($\alpha.$) Differunt magnitudine pro diversis proportionibus, quibus duo corpora inter se miscentur.

($\beta.$) Est semper proportio quædam, qua dum junguntur, maxima sit voluminis, quæ ex combinatione eorundem corporum fluere potest, mutatio.

($\gamma.$) Ab ea proportione quæ discrepant, omnes minorem exhibent mutationem. Ita saltem constanter vidimus, quoties duo corpora variatis miscuimus proportionibus.

($\delta.$) Si duo corpora miscentur proportione, ab ea, quæ maximam mutationem exhibet, valde discrepante, mutatio ad sensus & experimenta evanescit; & quæ sunt similia.

7. Hæ leges videntur quidem generales esse, & omnibus corporibus, quæ per mixtionem voluminis mutationem subeunt, applicandæ. *Singula tamen miscelæ proprias præterea & singulares leges sequi credibile est.* Sic v. g. proportio, quæ maximam mutationem producit, non eadem in omnibus, sed diversa, protut differunt, quæ inter se miscentur, corpora. (§. XLII. Exp. II.)

8. Licet autem *vis illa mixtionis, mutandi volumina*, si bina quælibet corpora specētes, certis ac stabilibus legibus adstringatur: ea tamen, si corpora plura eorumque miscelas inter se conferas, adeo *irregularis* haçtenus appetat, ut corpora nullo modo in certas classes ex varia mutatione, quam per mixtionem subeunt, distribui possint. Corpora inter se simillima si cum eodem corpore singula miscentur, ingens sœpe mutationis illius discrepancia, non quoad gradum tantum, sed etiam quoad speciem, comparet. Omnia ferme salia ubi quis cum aqua mixta examinaverit, animadvertis, quod in omnibus solutio-nibus voluminis decrementum factum sit, nomine facile inducetur, ut ponat: ergo omnia salia si in aqua solvuntur, voluminis imminutionem subeunt? Simul ac vero periculum simile cum sale ammoniaco facit, regulam stabilitam falsam deprehendit (§. LVIII. n. 1. 2.). Taceo alia multa exempla, quæ quilibet,

libet, si modo fugitivo oculo experimenta percurrat, facile animadverteret.

9. Hinc non potest ex cognitis duorum corporum densitatibus, & proportione, qua inter se permiscenda sunt, determinari, quanta mixti futura sit densitas; nisi prius experimento constiterit, utrum mixtio istorum singularium corporum volumini aliquam mutationem inferat, nec ne; & si quam, qualem; augmentum decrementumve? Nec hoc sufficit; sed & quantum alterutrius fiat, scire oportet. Si nulla volumini mutatio inducitur, mixti densitas per regulam, supra expositam (§. XX.), optime determinatur; si vero experientia demonstravit, fieri aliquam, regula ista fallit, nisi paululum immutata. Ponamus enim quantitatem, qua volumen per miscelam vel crescit vel immunitur, esse Σm , facile intelligitur, non esse

$$\frac{c}{a} + \frac{d}{b} = \frac{c+d}{x}$$

$$\text{Sed } \frac{c+cm}{a} + \frac{d+dm}{b} = \frac{c+d}{x}$$

Adeoque densitas mixti

$$\frac{ab}{a+nb} \times \frac{n+1}{1+m}$$

Nempe $1-m$, si decrementum voluminis contingit; contra $1+m$, si augmentum.

10. Nec potest ex cognita densitate & pondere mixti, cognitisque corporum componentium densitatibus, determinari certo, quantum de uno, quantum de altero in mixto continetur. Profecto nequamquam potest in miscelis, quibus volumina corporum mutantur. Regulae enim, quarum ope talia hactenus eruebantur, nituntur omnes dubio principio, immutabilitate voluminum. Quod si demas, indeterminatum est problema; eodem si pro vero utaris, longissime a veritate aberrabit calculus, quoties tibi res est cum miscelis, in quibus voluminum aliqua mutatio contigit. Quod ut clarius elucescat, ponamus mixtum proporu ex duobus corporibus constatum, cuius pondus sit Σp ,

O den-

106 DISSERTATIO PHYSICA

densitas $\equiv d$, densitates vero corporum constituentium a & b. Quæruntur singulorum pondera. Si x exprimat pondus unius, erit alterius pondus $\equiv p - x$. Volumen x erit $\equiv \frac{x}{a}$; volumen alterius $\equiv \frac{p-x}{b}$; volumen mixti $\equiv \frac{p}{d}$. Adeoque si immutata ponas volumina, erit

$$\frac{x}{a} + \frac{p-x}{b} = \frac{p}{d}$$

$$\text{Unde } x = \frac{ap \times b-d}{b-a \times d}$$

Quæ formula si applicetur ad mixta illa v. g. quæ ex aqua & alcohole composuimus (§. XX—XXIII.), appareat, suppositionem illam, voluminum non mutatorum, in crassissimos nos errores abducere. Sic enim mixtum primi experimenti constaret ex granis 780. 63 aquæ, & 419. 37 alcoholis, dum revera ex aquæ gr. 600., totidemque alcoholis, conflatum sit. Sic mixtura Exp. II^{di} facta foret ex 962. 89 gr. aquæ & 237. 11 gr. alcoholis, quum revera constet ex aquæ gr. 800 alcoholis 400.. Mixtum Exp. III^{ti} conflatum ex aquæ gr. 400, alcoholis 800, compositum esset ex aquæ gr. 552. 92, alcoholis 647. 80. Denique mixtum Exp. IV^{ti} continens aquæ gr. 813, alcoholis 668, constaret ex 1032. 62 gr. aquæ, & 448. 38 gr. alcoholis.

Quantum errorum ipse fallaciarum expers calculus suadere potest, si principiorum, quibus nititur, unicum a veritate ac natura abludat! Quanta opus est mathematicis prudentia, ubi artifia sua, ad effectus, qui in universitate rerum continentur, evolvendos traducere audent, ne turpiter fibimet ipsi & aliis imponant, speciosis nimium fidentibus calculis!

11. *Imperfecta ergo fuit, licet ingeniosissima, ARCHIMEDIS solutio celebratissimi problematis: quippe innixa falso hoc principio: aurum & argentum in mixtione propria omnino volumina servare.*

Hoc

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 107

Hoc dum corruit, patet, densitates, tum amborum metallorum, tum mixti, hujusque pondus, cognita non sufficere ad determinandam auri & argenti in dato mixto proportionem. Si cui proponeretur mixtum, quod nos ex æqualibus auri & argenti partibus conflavimus, isque nesciret, mutata per mixtionem volumina, calculans ex cognitis densitatibus metallorum singulorum & mixti, hujusque pondere, determinaturus foret pondus auri ≈ 128 , pondus argenti ≈ 144 gr. cum utriusque in mixto sint 136 gr. (§. LXVI. Exp. VIII.). Unde sequitur, *calculo Archimedeo justo majorem comparuisse artificis fraudem.*

12. Non mirabitur posthac Chemicus, si quando animadvertis, mixtum quoddam in simpliciora corpora resolvens, majorem esse simpliciorum simul sumtorum molem, quam fuit mixti. Nam ut aqua cum alcoole, cum oleo vitrioli, cum spiritibus acidis & alcalinis &c. congressa, penetrationem subit, ita necessum est, ut, si aqua ab iisdem rursus detrahatur, post separationem majus sit liquorum volumen, quam erat permistorum. Ergo Chemicus quando de spiritu vini abstrahit alcohol, aut rectificat oleum vitrioli, spiritum salis, nitri &c. finita operatione plus, quam adhibuit, habebit liquoris.

13. Nec mirabitur, si forsan volumina separatorum corporum simul sumta minora sint, quam resoluti mixti; licet pondere ab eo non discrepent. Si enim per mixtionem factum est voluminis augmentum, corpora per separationem ad propriam molem reducta minus spatiū explebunt, quam dum inter se mixta concumberent.

14. Nec in posterum pro certo habebimus, ut hoc usque habuimus, quod, quoties duo corpora, densitate discrepantia, inter se misceantur, mixti densitas media inter densitates componentium corporum necessario esse debeat. Potest esse major, quam ingredientium gravioris (§. L. Exp. II.); potest esse minor, quam ingredientium levioris (§. XLVIII. Exp. III. §. LXVI. Exp. V.): Si nempe densitates constituentium corporum non admodum inter se diversæ sint.

15. Si a compositione ad resolutionem argumentemur, aparet, fieri posse, ut corpus mixtum secedat in duo simpliciora, quorum utrumque mixto specificē levius est (§. L. Exp. II.); quod haftenus nemo facile credidisset.

108 D I S S E R T A T I O P H Y S I C A

16. *Potest etiam fieri, ut mixtum secedat in corpora simpliciora, quorum utrumque mixto specificè gravius* (§. LXVI. Exp. V.).

17. Ergo si a mixto quodam separatur pars specificè ipso levior, non possumus cum certitudine inferre, ut hactenus putatum est: residuum esse densius, quam fuit integrum mixtum. Potest omnino fieri, ut sit paris densitatis; potest fieri, ut sit rarius.

18. Nec, si de mixto pars specificè gravior secedat, justa conclusio est: superstitem partem specificè leviorem esse, quam mixtum fuit. Potest enim ejusdem, quin majoris esse densitatis.

19. Generalia hæc, applicata singularibus corporibus, applicata mixtionibus & separationibus humorum in corpore animali, videntur multa obscura illustrare, nec parum lucis in doctrina coctionum, secretivum, excretionum, in bistoria medicamentorum &c. adserre posse; præsertim si experientia usque in auxilium vocetur.

20. Illa penetratio, quæ in multis mixtionibus contingit, cuius effectus est voluminis decrementum, videtur HOOCKIO vera caloris ejusque efficacia causa esse, narrante HAUKSBEJO l.c. (§. VI.). Videns nempe, dum aquam oleo vitrioli immiscebat, & magnam penetrationem fieri, & ingentem calorem subnascenti, simulque intelligens, illam absque summo attritu fieri non posse, conclusit, calorem subnascentem penetrationis effectum esse. Sed si ita res est, cur non toties per mixtionem excitatur calor, quoties contingit penetratio? (§. L. Exp. II. III.). Quomodo penetratio fieri potest, ubi non tantum nihil caloris, sed vel frigus generatur? (§. LVII. Exp. I. II. III. IV. V. VI. VIII. XI. XIII.). Cur calor major, dum penetratio minor, in miscela eorundem corporum, diversa modo proportione? (§. XXIV. n. 7.). Quæ si cognovisset HOOKIUS, non dubito, quin suscepit opinionem deposuisse.

21. Melius ex ista penetratione, quæ in mixtionibus liquorum contingit, deduxit Cel. MUSSCHENBROEKIUS: fluida porosa esse, ideo sè invicem imbibere (a). Sane quoties duo corpora inter

(a) Inst. Phys. §. LXIV. n. 3.

inter se mixta penetrationem subeunt, manente eodem ponderare, legitime concludimus, utrumque aut alterutrum porosum esse; licet falsum sit, quod, quæ semet mutuo non penetrant, porosa non sint.

22. Ergo novum pro *spatio inani* argumentum habemus; & puto, aptissimam esse mutuam hanc corporum penetrationem, qua illius existentia ad oculum demonstretur. Dum *aqua* & *alcohol* coëunt, sit voluminis imminutio. Eadem massa corpora in minorem molem sponte cedit. Necessum proinde est, repleri per miscelam loculamenta quædam, antea inania. Scio excipi posse: ea plena fuisse materie aërea aut alia subtili, quæ per mixtionem excussa sit. Sed en experimentum ab illustri REAUMURIO factum, quod objectionem diluit: Ille tubo vitro immisit aquæ certam copiam; dein spiritus vini tantundem lenissime, ne mixtio fieret, affudit; tum orificium tubi, membrana circumducta, ita clausit, ut aër per commissuras penetrare non posset; membrana tamen non valde tensa, sed parum versus exteriora elevata. Hoc facto concutiens tubum effecit, ut miscerentur inter se liquores. Mox ac coirent inter se, inciperetque penetratio, vi aëris externi introrsum pulsa membrana convexitatem miscelæ obvertit. Argumento certissimo, exstisso intra tubum verum inane, quod dum aër in tubo contentus, vi suæ elasticitatis explicatus, adimpleret, tantam raritatem contraxit, ut æquilibritatem cum externo tueri amplius non potuerit (a).

23. Verum illa *corporum penetratio*, quam in multis experimentis vidimus, nonne adversatur deprædicatae *corporum impenetrabilitati*? Non. Nam locum non habet, nisi in corporibus aggregatis, quæ ex multis particulis corporeis, inter se collectis, nec tamen per totam circumferentiam coherentibus, conflata sunt; neque hinc ponit conditionem, qua substantia corporea intra substantiam corpoream fuscipiatur, sed talem modo, qua interstitia quædam vacua per mixtionem repleantur; id quod cum corporum impenetrabilitate facile conciliatur.

24. Ap-

(a) *l'Hist. de l'Acad. Roy.* A^o. 1733 pag. 245 & 246.

24. Apparet etiam ex nostris experimentis inter se collatis hoc, quod maximi momenti in scientia naturali est, licet proprie ad nostrum thema non pertineat: nimurum *a praesentia copiosioris ignis in aliquo corpore non posse ad rarefactionem illius corporis concludi.* *Ignis*, inquit BOERHAAVIUS (*b*), immiscendo se rarefacit omnia corpora, que in tota rerum natura sensibus nostris observata fuerunt, solida, liquida, mixta ex his. Atque hoc in genere quidem verum est, si ignis corporibus extrinsecus, quoconque demum modo, applicetur; si vero ab interna quadam caussa suscitatur, saepissime falsum. *Aqua* dum oleo vitrioli admiscetur, quantus mox calor? (§. XXXVII. Exp. I. II.). Ipso tamen momento, quo coeunt, non tantum nulla rarefactio obtinet, sed etiam insignis nascitur condensatio. Simili modo notabilis calor suboritur absque rarefactione, immo concomitante condensatione, ex mixtis aquæ cum alcohole, tintura benzoe, spiritu nitri, spiritu salis, ex miscelis alacobolis cum spiritibus acidis, ipsorum acidorum nonnullorum cum alcalicis, cum syrupo violarum &c. Ex quibus manifeste consequitur; posse ignis magnam copiam in corpore adesse eo tempore, quo corporis volumen valde imminuitur.

25. Neque a rarefactione alicujus corporis ad copiosorem ignem in eo praesentem conclusio valet. Oleo amygdalarum dum admisceretur oleum olivarum, nata est rarefactio, neque tamen calor auctus (§. XLIX. Exp. II.). Quin cum *sal ammoniacus* in *aqua* solveretur, increscebat volumen, & simul calor imminuebatur vehementer (§. LVII. Exp. VI.).

26. Ergo calor non semper rarefacit; nec temere ob calorem in aliquo corpore deprehensum inferendum est, auctum ejus volumen. (n. 24.)

27. Neque frigus semper constringit; adeoque si minor in aliquo corpore quam in circumjacentibus calor, non ideo mox sequitur, condensatum illud esse & volumine imminutum, (n. 25.)

28. Proinde verum non est, quod asserunt philosophi (*b*): potestatem rarefaciendi uni, soli, igni ita propriam esse, ut nulli sit alteri

(a) Elem. Chem. t. 1. pag. 358. n. 1.

(b) Vid. BOERHAAV. Elem. Chem. l. c. n. 2.

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. III

alteri corpori communis. Potest enim rarescere corpus, dum calor non modo non augetur, verum etiam imminuitur (n. 25.); quod dum sit, dici non potest, ignem rarefactionis caussam esse, sed alia plane caussa subsit necessum est.

Subsistit hic in deductione conclusionum, ne longius a themate nostro recedam. Adeo secunda sunt experimenta propria, ut non modo mutationes, quas volumina in mixtionibus subeunt, eleganter & subtiliter demonstrent, qui erat scopus; sed præterea etiam quam plurima ad amplificandam corporum historiam & singulares proprietates cognoscendas conserant.

Quam nova, quam non prævisa, animadvertisimus in rerum natura, dum de industria corpora corporibus componimus! Colamus gnauerit banc methodum!

DE CAUSSIS MUTATOR. PER MIXTION. VOLUMIN.

§. LXIX. Sic multis speciminibus vidimus, quanta sit mixtionis efficacia in mutandis corporum voluminibus. Vidimus harum mutationum inconstantiam, & singularissimas in nonnullis corporibus leges. Vidimus earum generalissime consideratarum duas esse species; alias enim per miscelam imminui volumen, alias augeri. Earundem nunc rimari *caussas*, jubet animi humani impotens explicandi cupidus, qui nunquam contentus iis, quæ sensuum ope cognovit, quæque ex his casta ratiocinatione deduxit, mox ad phænomenorum caussas excogitandas stabiendasque convertitur, earumque præmatura indagine tempus sæpius inutiliter terit, cum ipsæ in intimis rerum naturis ita plerumque absconditæ sint, aut concursu suo adeo implicitæ, ut finitæ intelligentiæ perspicaciam omnino eludant; unde toties sit, ut fictitiæ phænomenorum caussæ ac temporarie explications in publicum emanent, quæ prima fronte veri speciem præ se ferentes, mox ac severiori examini & communis rationis ac experienciæ judicio subjiciuntur, inanes corrunt. Ne pruritus explicandi eo nos abducat, operam sedulo dabo; neque hinc nisi generalia quædam proponam. Primo agam de *volumine per mixtionem imminuto*.

§. LXX. Duo corpora, v. g. *aqua* & *alcohol*, aut *Cuprum* & *Stannum*, si extrinsecus inter se applicantur, constituunt unum, cuius volumen æquale omnino est voluminibus amborum seorsim.

sim existentium simul sumtis. Eadem corpora, per minima inter se mixta, constituant mixtum, cuius volumen notabiliter minus est, licet materiae corporeae nihil amissum. Hujus imminutio-
nis quænam causa? In genere dici potest, caussam esse mixtio-
nem. Sed ita nihil explicatur. Quæritur, cur & quomodo
per mixtionem imminutio voluminis facta sit? Facta est, quia
contigit condensatio, h. e. quia eadem massa corporea in mi-
nus spatum redacta est. Verum hujus condensationis quæ caus-
sa? Proxima ejus caussa sita est in repletione loculorum quo-
rundam inanum, quæ in corporibus ante mixtionem exstite-
runt. Quid vero hanc repletionem produxit? Id, quod mu-
tuam corporum penetrationem vocavimus. Sed hæc penetra-
tio quid significat? Et quomodo fieri potest? Faciam ut intel-
ligatur:

Dum duo inter se miscentur corpora, primo utrumque in
minimas particulas discerpitur; deinde particulæ unius conju-
guntur cum particulis alterius; & si mixtio perfecta est, qua-
lem ponimus, nulla est mixti pars, ut ut minima, quæ non
utriusque particulam in se contineat. Fit ergo per mixtionem
nova particularum, corpora constituentia, distributio, quæ
si talis est, ut particulæ corporum post miscelam minus spatiis
occupent, quam occuparunt ante, *penetratio* dicetur facta; vo-
cabulo licet impropprio, tamen rem, prout ad sensus comparet,
satis bene exprimente.

Sed talis particularum distributio an fieri potest, & qua ra-
tione? Potest omnino fieri: nam nullum corpus totum corpus
est; omnia constituuntur ex particulis, licet solidis, ita tamen
adunatis inter se, ut inter eas intercipiantur spatiola, quæ
nullum solidum intra se concipiunt. Quid ergo impedit, quo
minus, dum duo corpora per minima miscentur, talis fiat par-
ticularum distributio, qua illa spatiola vacua, aut eorum pars,
materie solida repleantur? Quod dum sit, condensatio mixti
producatur necesse est, quæ voluminis decrementum invol-
vit.

Ita fatis facile intelligitur, quid sit illud: *corpora se mutuo
penetrare?* Intelligitur, quod illa penetratio possit fieri? Et quo-
modo in genere fieri debeat, si fiat? Sed non æque facile in-
telligitur, cur in mixtione singularium quorundam corporum
contin-

contingat? Imo explicatu difficillimum, cur non in omnibus quorumcunque corporum mixtionibus fiat? Nulla enim corpora in rerum natura hactenus observata sunt, quin multum inanis in sua textura intercipiant; nulla proinde vera corporum mixtio, quin illa conditio adsit, sine qua penetratio non fit, quam licet vocare *causam penetrationis prædisponentem*. Fiunt tamen complures & absolutissimæ corporum miscelæ, in quibus nihil omnino penetrationis contingit.

Ergo non est universalis quedam *caussa*, omnibus corporibus communis, quæ illam penetrationem producit; licet omnibus insit dispositio, que ut fieri possit, requiritur. Sed querenda est *specialis caussa in singulari natura corporum determinatorum*, quorum in miscelis penetratio contingit.

In quo igitur consistit illa specialis *caussa*? An est una & eadem in omnibus corporibus, quæ, dum miscentur, se mutuo penetrant?

Consistit sine dubio in certa quadam *relatione*, quæ inter corpora se mutuo penetrantia intercedit. Sed hæc relatio non una & eadem in omnibus, sed diversa in diversis esse videtur; neque facile explicanda, nisi in speciali casu ex cognita singulari corporum commixtorum natura.

Sane quidquid egerim, non potui invenire *causam*, quæ omnibus miscelis, in quibus penetrationem observavimus, accommodari queat. Si ad unam congruit, alteri adversatur. Tam irregularis atque vaga hactenus videtur illa vis corporum, se mutuo in mixtionibus penetrandi, ut nullis limitibus circumscriptam dices!

In genere tamen affirmare ausim, eam per sequentia determinari:

1. Per magnitudinem particularum, earumque figuram, situm, nexum, in singulis corporibus;
2. Per pororum in singulis non adeo frequentiam, quam magnitudinem & dispositionem;
3. Per proportionem singularem, quæ inter enumerata n. 1. & n. 2. unius corporis eademque alterius intercedit;
4. Per mixtionis subtilitatem majorem vel minorem;
5. Inprimis vero per vim singularem, quæ inter particulas unius & illas alterius corporis viget, qua se mutuo fortius trahunt, &

hinc arctius inter se adunantur; cuius egregium exemplum vidimus, tum ubi *cuprum in aqua forti*, tum ubi in *spiritu alcalino* solvebatur (§. LXIV.).

Ex his conditionibus aliter atque aliter modificatis, aut seorsim existentibus, aut concurrentibus & diversimode combinatis, penetrationes, quæ in singularium corporum miscelis sunt, earumque discrepantias fluere, persuasum habeo. Sed illæ ipsæ conditions quum cognosci nequeant, quin peculiaris corporum indoles atque proprietates cognoscantur, docent simul, quam difficile sit, veram ex multis possibilibus penetrationis causam in determinato casu eruere; docent, quod vix fieri possit, ut, datis duobus corporibus, a priori determinemus, utrum illa inter se permixta penetrationem subitura sint, nec ne.

§. LXXI. De augmento voluminis, quod mixtionis effectus est, nunc dicendum; ubi duo iterum dilucidanda sunt: 1. *quid fiat, dum volumen augetur;* 2. *qua sit causa illud efficiens?*

Zincum Stanno si circumfunditur, aut alia ratione extrinsecus applicatur, moles nascitur, quæ volumine adæquat ambo metalla seorsim constituta. Idem Zincum si Stanno per ignem jungitur ita, ut vera & æquabilis fiat miscela, mixtum inde generatum volumen multo majus ostendit. Neque tamen materies corporea accessit; quod pondus demonstrat. Ergo in mixto intercipitur plus pororum, quam in ambobus corporibus ante mixtionem erat. Hinc necessum est, contigisse sub miscella talem particularum distributionem ac dispositionem, qua vel pori ampliati, vel numero aucti, vel utrumque factum. Sed talis dispositio particularum an fieri potest? & quomodo fit?

Si duo habeas prismata triangularia, æqualia & similia, illa inter se applicata dabunt parallelepipedum, quod determinatum spatum occupat. Si unum eorum feces in tria prismata minora, alterum, ut fieri potest, in tres pyramides æquales; si deinde pyramides prismatibus interponas: exsurget incongrua quedam moles, quam in illud spatum, quod a parallelepipedo occupabatur, componere nullo modo poteris, quamdiu interstingentes prismata pyramides relinquas. Quodsi particulae duorum corporum, quæ inter se miscentur, similem habent figurarum discrepantiam, non poterit fieri, quin per mix-

tio-

tionem ob incongruas particularum figuras volumen augeatur, eadem materie corporea in majus spatum semet expandente.

Idem contingere poterit, licet particulae corporum, quae miscentur, figuris non discrepent. Licet omnes v. g. minimi cubuli sint, si modo efficiatur per mixtionem, ut, quae ante per superficies integras se tangebant, nunc per dimidias, quae per dimidias, nunc per minores partes se mutuo contingant; aut quae superficiebus, nunc angulis tantum cohaereant: mixtum semper majorem constituet molem, quam ambo corpora simul sumta ante miscelam.

Unde consequitur, duas esse voluminis per mixtiones aucti generales caussas: 1. particularum corpora constituentium incongruae figuræ, 2. Cohærendi modus mutatus.

Prior ex se sufficit producendo voluminis augmento, & necessario, quoties in miscela occurrit, hunc effectum edit. Hinc si a priori determinari potest, duorum corporum particulas incongruis ejusmodi figuris praeditas esse, cum certitudine praedicitur, ea inter se mista voluminis augmentum subitura.

Posterior generalis caussa sociam requirit determinantem aliquam conditionem, qua efficiatur, ut cohaesio potius hoc, quam alio modo fiat.

Atque haec conditio interdum pendet a re quadam extra-nea in mixtione concurrente, v. g. ab aëre inter particulas corporum durante mixtione semet interponente, a frigore subito admissio, si forsan per ignem mixtio perficitur, & sic pro-
ro; plerumque tamen sita esse videtur in singulari quadam & inexplicabili relatione, quae inter particulas singularium corporum intercedit, impediens, quo minus illae in arctiore con-tactum ruant; quam ob effectum vim repellentem vocare licet.

Si relicta generali caussarum indagine ad singularia corpora redeamus, quae mixta rarescant, ubique maximae difficultates comparent, determinandi specialem aucti in hac vel illa miscela voluminis caussam. Impossibile videtur, demonstrare, utrum particularum incongruae figuræ in caussa sint? An cohaesionis per mixtionem mutatae modus? Et si hic, qualis fit? Et per quam conditionem determinatus?

§. LXXII. Haec de caussis mutatorum in mixtionibus voluminum dicta sufficient. Possem plurima addere; etiam subtilio-

tiliora. Possim, calculo in auxilium vocato, præstigiis mathematicis Lectorum oculos perstringere, si animus esset, communis more dignitatem philosophicam tueri. Tandem tamen ubi ad speciales caussas, quæ in determinatis singularium corporum mixtionibus volumini mutationem inferunt, perventum foret, me illas nescire confiteri deberem. Quapropter malo, absque ambagibus ignorantiam in his fateri; præsertim cum jam longius ultra limites academicæ legis excurrerit disputatio mea; neque pauca etiamnum supersint, maximi momenti, de ipsis experimentis, de modo, quo capta, cum REAUMURIANO comparato (§ XVI.), de ejus subtilitate, fallaciis in nonnullis casibus, cautelis necessariis &c. dicenda, illustrationi experimentorum atque thematis hujus amplificationi vel maxime inservitura.

§. LXXXIII. Duo in singulis nostrorum experimentorum consideranda sunt: Primo ea, quæ manuum ac instrumentorum ope, moderantibus sensibus, fiunt; deinde quæ ex illis vi calculi deducuntur (§. XIX.). De singulis nonnulla monenda. Fiunt autem *pensiones* & *mixtio*; & pensiones quidem duplicitis generis, quarum aliis pondera componendorum corporum, aliis eorundem, ut & mixti, specificæ gravitates constituuntur. Et mixtio & pensiones summam requirunt attentionem atque curam: iis enim innititur calculus, quo experimenti omnis vis comprehenditur. Pensiones ut rite peragantur, accuratissima ad manus instrumenta sint oportet: agilissima bilanx, exakte divisa pondera, reliqua supellec hydrostatica subtiliter fabrefacta. Quibus omnibus quam perfectissimis fruitum me fuisse in instituendis tentaminibus, vehementer gaudeo, omnesque hinc pensiones accuratissime factas firmiter assieverare audeo: quum ea fuerit Celeberrimi MUSSCHENBROECKII singularis comitas, ut mihi non modo usum suorum instrumentorum concederet, sed & ipse semper præsens, consilio & manu, novitium in arte adjuverit. Quod ideo hic commemooro, partim ut major sit experimentorum auctoritas, (quis enim aut novo naturæ venatori sinceram fidem habere, aut versatissimo illi negare auderet?) partim ut occasionem nanciscar, Viro publice agendi gratias pro innumeris, quæ in me contulit, beneficiis, inter quæ illud cum primis eminet, quod, cum vix ipsi mentem meam aperuisset, mox non

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 117

non modo blandis exhortationibus dubitantis animum incitaverit, sed etiam sponte tum necessaria instrumenta, tum domesticam officinam, tum, quod omnium primum est, propriam dexteritatem & fraternum velut consortium paratissimus obtulerit. Magni profecto Viri est, non tantum propriis inventis illustrare scientias atque promovere, sed etiam alios, ad cultiorem cognitionem adspirantes, sollicita manu ducere, prudenter stimulare, operose adjuvare!

De *instrumentorum* igitur apta constructione, cum MUSCHENBROECKIANA fuerint, non est, quod dicam. Sufficit indicasse, illa eo plane modo esse constructa, quem tanquam optimum in machinis, pensionibus faciendis inservientibus, accurate descriptum atque figuris illustratum exhibit Celeberrimus s'GRAVESANDE (*a*). Bilanx, raro exemplo!

tantæ agilitatis est, ut ad $\frac{1}{40}$ grani sensibilem agitationem subeat, etiam aliquot utrimque unciis onusta.

Monere autem debo, nos non adhibuisse cylindrulum illam aeneam, quam subtilis s'GRAVESANDIUS excogitavit ad ponderum differentias grano minores determinandas (*b*): quum præsto essent omnis generis ponduscula grano minora, quorum ope commodius longe minima ponderum discrimina definiuntur.

§. LXXIV. Difficile est, exacta habere *pondera*; difficilior, aliis determinati quid circa ea verbis insinuare. Neque enim pondus in se fixi quidquam aut constantis habet; sed est ad libitum assumta massa corporea, ex cuius gravitatis momento aliarum corporum gravitates determinantur. Et dum pondus alicujus rei loquimur, exprimimus rationem, quæ inter ejus & assumtae massæ quantitates corporeæ materiei intercedit. Quidquid autem ab arbitrio hominum pendet, num id constans esse potest, aut ubi vis locorum idem? Hinc quot regiones, tot pondera diversa; nec regiones solum integræ, sed ejusdem etiam diversa loca notabiles discrepancias monstrant. Neque enim

men-

(*a*) *Physic. Elem. math.* t. I. II. III. c. III. §. 1480. & seqq.

(*b*) *Ibid. C. IV.* §. 1529. & seqq.

mensurarum, extensionis, temporis &c.; quibus quid quæsto mutabilius aut multiplicius?

Verumtamen ex quo tempore diversissimæ gentes ordinatiore miscentur commercio, ut aliquid certioris in vaga ponderum diversitate constitueretur, effecit æqui justique cupido, dicam, an avaritia? præsertim quando pretiosior communio inter paucos esse coepit, Proceres nempe rerumpublicarum atque regionum Principes. Convenit idecirco inter eos de determinata massæ corporeæ quantitate, tanquam de exploratore pretiorum optimo justissimoque. Hinc factum, ut in ærariis Regum atque Rerumpub. bene constitutarum definitum aliquod pondus sedulo asservetur; idem in omnibus regionibus, inter quas frequentior communitas intercedit, (ita saltem postulante æquitate); ex quo determinetur, quidquid ad pensiones spectat, tum in proprio singularum, tum in mutuo diversarum civitatum commercio. Vocatur ejusmodi pondus *dormiens* (le dormant) & solet minoris esse massæ, neque unciam excedere. Sic *Hagæ Comitum dormiens* servatur *uncia*, ex qua pondera in Repub. Batava usitata definiuntur.

Quamvis autem ita constitutum sit, ut, quidquid ad florentissimum universæ Reipub. commercium pertinet, id omne ex illa *dormiente uncia* determinetur; nec quidquam legitimi ponderis habeatur, quod ad illam non congruit: nihilominus si singulas civitates percurras, & singulorum mercatorum, non dicam inferioris tribus, sed primi etiam ordinis, pondera scruteris, diversissima ejusdem nominis invenies; quin si hujus rei peritissimos, quorum munus est, pensionibus prospicere, adeas, apud singulos discrepantias deprehendes, quæ in magnis corporum massis admodum insignes erunt, licet in unciis aliquot duntaxat grana efficiant; quæque non ex negligentiore ponderum divisione originem trahant, sed ex eo, quod primitivum pondus non accurate satis, vel ex incuria, vel ex fraudulentia, constituerint artifices.

His impulsæ causis *Viri Sagacissimi*, s'GRAVESANDE & MUSSCHENBROEKIUS summopere allaboraverunt, ut accuratissima, quantum fieri possit, & constantissima, & *dormienti* illi *Hagano* congrua, pondera sibi compararent. Quod cum assecuti sint strenui & pertinaces in inquirendo, & liberales cum

in omnibus rebus honestis, tum in primis in iis, quæ scientiarum splendorem & incrementa spectant: non dubium est, quin omnia, quæ in eorum scriptis habentur, subtiliorum pensionum perfecte consonantia sint & inconclusa statura; dummodo nepotes ea, pari sedulitate, perspicacia, rigore, ad examen revocent.

Atque ejusmodi accuratisime determinata^a pondera nostris etiam in tentaminibus adhibita sunt, quorum partem magnam & præcipue illa, quæ grano minora, patienti animo & docta manu ipse perfecit *philosophus artifex, Dux & Auctor conatum meorum*. Itaque cum affirmare ausim, exactam inter pensiones, quæ in nostris experimentis occurunt, harmoniam intercedere, tum etiam Lectori certi aliquid de ponderibus, quibus usi sumus, indicatur. Ipsæ cæterum pensiones ea ratione iisque cum cautelis factæ sunt, quæ fuse exponit I. c. Celeb.
S' GRAVESANDE.

§. LXXV. Qui subtilitatem pensionum nostrarum (§. LXXIII, LXXIV.) cum modo, quo iis superstruximus calculum (§. XIX.), comparat, is facile perspiciet, quam apta fuerit methodus nostra ad mutationes voluminum, etiam minimas, detegendas. Pensiones enim corporum tam exacte fieri poterant, ut ne $\frac{1}{40}$ grani a vero abluderent. In reductione gravitatum specificarum ad fractiones decimales error nunquam æquat $\frac{1}{1000}$ grani.

Atqui $\frac{1}{40}$ grani *Alcobilis* (§. XX.) ne quidem æqualis est $\frac{63}{1000}$ linea⁶³ cubicæ. Potuit ergo in miscelis levissimorum liquorum ex nostro operandi modo imminutio aut augmentum voluminis, quarta parte linea⁶³ cubicæ minus, commode detegi. Sed quam exigua hæc quantitas! quam nulla ejus latitudo, si in sectionem arctissimæ cylindri configurata concipitur! Quodsi in levissimis liquoribus, ut est *alcohol*, ad tantam subtilitatem peruestigatio nostra pertingere potest: eo magis profecto in misturis corporum specificie graviorum minimæ & oculo plane imperceptibiles voluminum mutationes ope methodi nostræ determinari poterunt. Crescit enim ejus subtilitas, prout pondera corporum specifica crescunt.

Hæc

Hæc una & præcipua causa est, quare modus, demonstrandi mutata per mixtiones volumina ope gravitatum specificarum, alteri, licet directiori, qua præsertim illustris REAUMURIUS (§. VIII.) usus est, longissime præferendus fit. Per hunc enim nunquam tam accurate ac per illum mutationes voluminum determinari queunt.

Perquam difficile est, corporum volumina aut exacte constitutere, aut subtiliter inter se comparare, per directam mensiōnem. Quin si circa corpora solida versamur, quorum plerumque irregularis figura est, id fere impossibile. Unde in miscelis solidorum inter se, aut cum liquoribus faciendis, non tantum minus accurata est, sed nullius plane usus *Methodus REAUMURIANA*. In ipsis autem liquorum mutuis miscelis, si paucos excipias, multa sunt, quæ eam imperfectiorem declarant. Nam primo ipsorum fluidorum, licet ob summam particularum mobilitatem in quascunque formas facile redigantur, volumina omnino æqualia, vel certam exacte proportionem servantia, agre determinantur. Ad id præstandum usus est illustris REAUMURIUS parvis modulis. Sed licet hi assabre confecti sollicita cura repleantur, errorem tamen inducere potest irregularis superficierum ratio, quas varii liquores diversas affectant, qui in vasis constituti a plana fere semper abhorrentes, nunc magis, nunc minus, superficiem conglobant, alias etiam marginem evolvunt, relicta in medio fovea. Ipsi deinde modulis aut infundibulo, per quod transfusio in tubum exploratorem fit, ne guttulae quaedam adhaerescant, quis cavere poterit? Atqui hac in methodo quælibet gutta sensibilis erroris causa esse potest. Qua porro ratione impedit, dum liquorum leviorum ponderosiori affundis, ne prius, quam locum tubi, ad quem non mixti pertingunt, notaveris, aliqua jam facta sit permixtio? in primis si res tibi sit cum liquoribus, qui sponte in connubium tendunt. Dum generofus vini spiritus, aut meracum vitrioli oleum, ex aëre invisibilem aquam trahunt, num eandem, amplexui expositam, intactam relinquent? Sed quemadmodum in principio, quo deberet, impediri nequit, quo minus aliqua saltē liquorum confusio fiat; ita deinceps in angustiis tubi accuratissima, ut deberet, permixtio præstari vix potest; præsertim si tubus inferne ampul-

lam gerat, qualem illustris REAUMURIUS adhibuit. Inversione tubi opus est & vehementi conquassatione. Sed motibus his ne aliquid per commissuras ostii, cum digito aut epi, stomio, exsudet, timendum; quin in multis miscelis periculum est, ne, concitato per violentiam motus nimio fervore, totus rumpatur apparatus. Cui incommodo si quis mederi velit, adhibito tubo ampliore neque inferne ampullaceo, alterum contraheretur, etiam majus: eo enim minus sensibilis est voluminis mutatio, quo major tubi diameter; & subinde nihil mutationis ob sectionis capacitatem appetet, si parva fuerit permotorum liquorum massa, licet revera quedam fiat.

His defectibus nostra nequaquam laborat *methodus*, quæ & accuratissima est, & universalis, quum pensiones solidorum non minus quam fluidorum exactissime fieri possint; & ob alias etiam caussas vel maxime commoda.

Sic in nostra methodo æque sensibilis est voluminis mutatio, sive minimam corporum miscendorum quantitatem sive maximam adhibeamus, dummodo eadem sit proportio. In altera vero fit eo sensibilior, manente eadem proportione, quo major est commixtorum corporum quantitas; hinc quando parva est respectu voluminis mixti, subinde in minore quantitate percipi omnino non potest. Atqui haud raro contingit, si res nobis est cum pretiosioribus aut difficilius parandis corporibus, ut non largior præsto fit copia. Quibus in casibus Reaumuriana *methodus* saepius falleat, & vel nullam voluminis mutationem vel inadæquatam demonstrabit; nostra suum semper rigorem atque vim tuebitur.

Si miscela duorum corporum rite facta est, perinde tunc erit in nostra methodo, sive totum mixtum adhibeatur, sive ejus duntaxat pars, pro determinanda specifica gravitate. Quamvis igitur, mala fortuna, portio quedam mixti deperderetur, reliquum eadem nos docere poterit, ac integrum anxie conservatum potuisset; unde constat, in nostra methodo primo audacius posse commisionem liquorum fieri, & hinc penitus, quam in *methodo Reaumuriana*; deinde guttas, quæ in transfusione vasis adhaerescunt, non posse indagatoribus imponere, quum in *Reaumuriana* omnino possint. Confuevimus liquores miscendos in vasculis vitreis cylindricis ponderare, tum in iisdem mistionem ita facere, ut

uno liquore alteri assuso , mox in vacuum vasculum transfusio fieret , & ex hoc rursus in alterum , idque diversis vicibus . Sic intima & æquabilis facta est permixtio , & singulæ particulae unius liquoris cum singulis alterius conjunctæ sunt ; & si forsitan in prima assuptione vasculo quædam adhaeserunt guttulæ innuptæ , illæ in transmutationibus connubium subierunt ; quo facto non amplius opus erat anxia mixti conservatione , sed poterat pars eadem monstrare ac integrum . Quod quanti commodi sit , quilibet facile animadvertiset , qui experiri similia suscipit .

Hinc etiam intelligitur , quod , si sub mixtione aliquid materiae corporeæ , nobis non percipientibus , avoleat , modo dissipata particula similem diversorum corporum proportionem contineat , ac fuit adhibita , nihil inde erroris in experimentum , methodo nostra factum , redundare posse ; redundet omnino , si altera methodo usi fuerimus , in qua ad mutationes densitatum non respicimus , sed ad incrementa tantummodo & imminutions voluminum . Ex ea enim videbitur non tanta modo facta voluminis imminutio , quanta revera contigit condensatio , sed tanto insuper major , quanta fuit deperdita particula . Proinde fieri etiam potest , ut in miscela quadam contingat voluminis augmentum & ponderis specifici imminutio , sed simul dissipetur pars quædam mixti , ea quidem copia , ut magnitudini rarefactionis æqualis sit : In hoc casu ex nostra methodo nihilominus vera mutatione cognoscetur ; altera vero fallet examinantes , & nihil factum mutationis , ut credant , suadebit . Mitto alia , quibus demonstrari posset , quod , si etiam ex nostra methodo in errorem deducamus , ille tamen semper minor foret , quam qui eodem in casu ex altera exspectandus esset .

§. LXXVI. Neque tamen sufficit , ut summam illam *methodi nostræ* exactitudinem tueamur (§. LXXV.) , elaboratissima habere instrumenta , iisque prudentissime uti , observare etiam omnes ab optimis auctoribus præscriptas regulas in pensionibus hydrostaticis faciendis . Subtilioribus præterea artificiis quibusdam & peculiaribus cautelis opus est , in determinandis corporum gravitatibus specificis , ad quæ hactenus non adeo attenderunt physici ; quorum nonnulla , cum maximi momenti sint , hic exponere operæ pretium duco .

Bub.

Bulbus vitreus, qui densitatibus variorum fluidorum definiendis inservit, solidus sit, ex vitro densissimo conflatus, justæ magnitudinis & figuræ conoideæ.

Dum pondera specifica fluidorum indagamus, supponimus, particulas, e quibus illa componuntur, nulla inter se cohærere vi, sed potentia infinite exiguae cedere; corpus idcirco solidum, quando per fluidum descendit, nihil momenti in superanda illa cohæsione insumere, neque plus de suo pondere amittere, quam sub æquali extensione pendet fluidum. Sed ita se res non habet. Particulae enim omnium fluidorum vi quadam inter se continentur, nonnullorum quidem majori, aliorum minori. Ad quam superandam proportionalis requiritur potentia. Unde fit, ut solidum, liquori immersum, non tantum modo suo de pondere amittat, quantum sub æquali volumine pendet fluidum; sed particulam quoque sui ponderis contra facultatem illam attractivam dirigere debeat. Quæ facultas quum tolli penitus nequeat, neque definiri, nisi per tædiosissima experimenta, quanta sit in singulis fluidis; neque proinde evitari possit error in determinatione densitatum inde nascens: opera danda, ut error hic, quantum fieri possit, minimus sit. Quo autem modo hoc fiet? videamus.

Cohæsio illa æqualis est in voluminibus æqualibus. Loquor de eodem & homogeneo quidem fluido. Igitur solida omnia ejusdem voluminis æqualem ab ea patientur resistentiam, & ponderis quasi imminutionem. Haec ergo resistentia minoris semper momenti erit, quo solida densiora; minorem adeoque errorem inducit, si pensiones fiant ope bulbi ex densissimo vitro facti, neque intus cavitatem continentis: nam sive ex materie specificie leviore sit conflatus, sive cavus sit, perinde est.

Si cohæsio illa in pollice cubico æqualis sit x , bulbus autem solidus ponderis sit y , aliis vero volumine æqualis sed cavitatem continens $\frac{y}{z}$; Denique liquor sub illo volumine pendeat z : erit vis, qua bulbus solidus descendit, æqualis $\overline{y} - \overline{z} + x$, qua cavus $\frac{y}{z} - \overline{z} + x$; atqui $y - z$ ad y rationem sem-

per habet majorem, quam $\frac{1}{2} y - z$ ad $\frac{1}{2} y$, h. e. error semi-

per erit minor, si $y - x$ ponamus pro y , quam si $\frac{1}{2} y - x$ ponamus pro $\frac{1}{2} y$: quippe in quo casu duplo erit major. Hinc error in determinationibus ponderum specificorum fluidorum decrescit, prout crescit densitas & pondus bulbi manente eodem volumine. Quapropter si cum bulbo intus cavo sit pensio, majore quantitate errabitur, & fluidum specificē gravius apparebit, quam si cum solido.

Sed cohæsio particularum non sola est causa resistentiae, quæ fit solido per fluidum descendenti. Ipsa enim figura corpori faciliorem reddere descensum potest: quippe cel. s'GRAVE SANDE in elem. phys. §. 1949 — 1952. subtiliter demonstravit, figuram conicam minorem pati resistentiam, quam sphæricam aut cylindricam.

Ex quibus inter se collectis patet asserti veritas, & constat: *errores, qui in determinatione gravitatum specificarum ex resistentia, solido per fluidum trananti facta, necessario oriuntur, eo esse minores, quo bulbus densior, major, & ad figuram conicam magis accedit.* Ne dicam de subtili discrepancia, quæ a varietate figurarum conicarum oritur.

Verum dum ab una parte evitamus, quantum fieri potest, errorem, ne ab altera parte, in majorem defectum illabamur, opera danda. Demonstramus equidem, præstare bulbum majorem atque densiorem. At nonne, quo ponderosior est bulbus, eomagis oneratur bilanx? Nonne hæc quo plus fert, eo pertinacius æquilibrium servat, eoque evadit lentior atque pigrior? Atque hæc ratio est, quare in principio præcepimus, ut solidum justæ sit magnitudinis. Hanc autem determinat agilitatis, qua bilanx gaudet, latitudo. Nimirum non simul seignior fit bilanx, atque parvis utrimque ponderibus premitur; sed majora requiruntur momenta, antequam ipsius imminuatur volubilitas. Dum libera & quiesca per quadragesimam grani partem, subtiliter uni lancium immissem, manifeste agitatur; non ideo si utrique lanci imposita fuerit una aut altera uncia, majori opus est momento ad agitationem producendam. Ita saltē bēne constructa se habere debet; ita se habet illa, qua nos sumus usi. Itaque limitata quidem est bulbi pondus & magnitudo, neque

que excedere unquam debet latitudinem illam agilitatis; eo usque tamen augenda necessario, ac per eam licet.

Enimvero peritissimus his in rebus s' GRAVESANDE in elem. phys. §. 1546. solidum illud vitreum, inquit, cavitatem in se continentem potest; melius etiam, si bujus pondus minuatur tali cavitatem sufficit, si solidum gravius sit omnibus fluidis, mercurio excepto. Ad quod inde compulsus videtur, (rationem enim ipse non addit), partim quia bilanx alacrior, ubi minus onusta, minores discrepancias fidelius demonstrat; partim quia eo etiamnum loci, seposita cohærendi facultate, qua omnium fluidorum particulæ cohibentur, fluida abstracte, quod ajunt, contemplatus sit, ad eas duntaxat attendens proprietates, quæ ex ipsa fluiditatis idea, cum pondere particularum constituentium collata, profluunt. Eapropter licet tanti Viri auctoritas suadere videatur, non possum induci, ut a proposita opinione discedam; considerans quippe fluida, qualia in rerum natura occurserunt, & experitur tentator, non qualia demonstrationum aut facilioris notionis gratia concipi solent.

Sed aliud est, quod magis stringere, & pro illa cavitate fortius pugnare videtur. Scilicet si cavitatem intus concedas bulbo, potest eodem manente pondere volumen ejus insigniter augeri. Sed aucto bulbi volumine major est fluidi quantitas, quam ille e loco pellit. Majora ergo fluidorum volumina ejus ope ponderantur una vice. Atqui penstiones eadem accurationefieri possunt, quotiescumque momenta, lances deprimentia, aequalia sunt. Quodsi igitur ope bulbi solidi, cuius pondus unius unciae, pensio tam subtilis fieri queat, quæ non nisi centesima grani parte a vero abludat: videtur posse pensio cum bulbo cavo ejusdem ponderis, sed dupli voluminis, ad parem perduci exactitudinem; quod si possit, profecto duplo minor erit error, si cum cavo, quam ubi cum solido operemur. Nam illic immensura duplici liquoris non major erit defectus, quam hic simplici.

Speciosum argumentum est; sed corruit, simulac animadverteratur, alia ante memorata incommoda hac consideratione negligi. Nam quo majus fit bulbi volumen, manente eodem pondere, eo major evadit erroris probabilitas tum ex cohæsione particularum tum ex superficie magnitudine.

Itaque oportet, non unum incommodum seorsim considerare, atque huic medelam querere, sed omnia simul perpendere, & ex eorum collectione sapienter deducere id remedii, quod omnium minimam errandi suspicionem relinquat. Quo facto apparet manifeste: *densitatem bulbi nunquam justo majorem esse posse;* neque figuram aliam debere habere, quam quæ minimam sibi resistentiam, dum corpus in fluidis moveatur; neque denique magnitudinem, quæ per pondus hic determinatur, peccare, nisi ultra limites, quibus summa bilancis agilitas coeretur, procedat.

Neque tamen putandum est, me ex sola, eaque nimium forsan scrupulosa, speculatione ita statuere. Optima rerum magistra, experientia, primam in hoc inquirendi occasionem dedit. Nam cum accidisset, ut pretiosum *oleum citri* flillatitium non sufficienti copia præsto esset, ut ope bulbi solidi majoris, quo semper uti solebamus, hydrostatice explorari posset: coacti fuimus, sphærulam parvam vitream, intus cavam, atque ab una parte tubulum exferentem, huic usui adaptare. Tubulo itaque ad flamman lampadis clauso & incurvato, sphærula ex filo equino suspensa est, & in nonnullis experimentis eodem modo, ut bulbus solidus, adhibita. Videbatur autem, quotiescumque ad examinanda mixta adhiberetur, miraculosa prodere. Propterea postquam liquorem, ex una parte olei citri & tribus alcoholis compositum, ope ejus specificē ponderasssemus, confirmandi eventus caussa, quum copia sufficeret, cum bulbo majore & solido pensionem repetivimus. Reductio deinde facta indignabundus vidi, eventus nequaquam congruere; illic enim gravitas specifica mixti visa est o. 8421; hic duntaxat o. 8392. Et rebus strenue examinatis concludere debui, pensionibus cum minore illo & cavo bulbo institutis fidem haberi non posse (§. L. Exp. III.). Mox sedulo perquisivi, quænam hujus rei caussæ existant; sicque in illas, quas modo enucleatas dedi, incidi. Quin ex eodem experimento aliud didici magni momenti: nempe *resistentiam, quæ ex cohesione particularum eidem solido, per varia fluida moto, fit, diversam esse in diversis fluidis;* & in *olio quidem citri,* licet *triplo subtilissimi alcoholis diluto,* in volumine bulbo nostro minori æquali, ^{III}₅₆₉₀ grani majorem esse, quam in aqua pluvia destil-

destillata; particularumque cohærendi vim in illo esse ad eandem in hac, quemadmodum 4094 ad 3983 circiter.

§. LXXVII. Ex iis, quæ in §. LXXVI. disputavimus, patet ratio, quare in nonnullis fluidis methodus istibæc, fluidorum specificas gravitates determinandi, qua nos usi sumus, quam Celeb. s'GRAVESANDE §. 1545. l. c. omnium maxime universalem & accuratam vocat, *adbiberi nequeat, quin insignissimos errores inducat.* Loquor de illis liquoribus, qui aut in se magnam tenacitatem habent; aut permisi cum aliis liquoribus, licet tenuioribus, particularum pertinacem cohæsionem & majorem lentorem nanciscuntur; quo pertinent in primis *olea* pressione aut coctione parata, v. g. *oleum amygdalarum, olivarum, lini* &c. quin ipsum *oleum de terebinthina destillatum*, diuturniore asservatione lenteſcens; eademque tanto magis, ubi cum *liquoribus alcalinis fixis*, aquæ quanquam fluiditatis, simplici etiam concussione permixti, faponaceam naturam induunt. *Oleo amygdalarum dulcium* recentissimo, fluidissimo, admiscuimus sensim aqueum *tartari oleum per deliquum*, dupla quantitate. Facta vehementi conquaſſatione, mox, antequam difficiles mixtu liquorē rursus fecederent, (ægerime enim absque ignis vi copulantur), pensionem hydrostaticam tentavimus. Verum bulbus vitreus, licet solidus, difficulter & descendebat & nisi majori adhibita vi non ascendebat per mixtum; atque pro libitu & constituebatur æquilibrium, idemque deſtruebatur, iisdem ad utramque lancem momentis manentibus. Ex quo didici, methodum, qua per immerſum solidum fluidorum specifica pondera constituuntur, in hac liquorum classe crasse fallere; & anteponendam esse aliam, licet primo intuitu rudiorem, juxta quam in appropriato vase sensim diversorum fluidorum paria volumina pendentur.

Est & aliud fluidorum genus, quæ aliam ob eaſsam subtiliorem illam methodum respunt, & vulgatiore ſecurius explorantur. Puto ea, quæ, etiæ aquabilem præ ſe ferant ſpeciem, & eandem in omnibus particulis compositionem atque specificam gravitatem, revera tamen hydrostaticæ heterogenea ſunt. Ejus indolis ſunt omnes liquorē mixti, ex variis fluidis in ſe mutuo ſolutis conflatī, aut & diſſoluta tenentes ſolida, e quibus per novum affuſum fluidum pars materiæ componentis ita

excutitur, ut vincula veræ solutionis dissolvantur, neque tamen excussa materies, rationem gravitatis sequens, aut in fundum deprimatur, aut in superficiem emergat, sed particulis homogenei liquoris intricata, suspensa eo loci maneat, quo antea soluta hærebat. Ergo huc spectant *olea stillatitia in alcohole soluta* & ex eo ope aquæ aut alijs liquoris excussa, v. g. *spiritus citri per aquam*, *vinum aut liquorem alcalinum assusum lactescens*; deinde *corpora resinosa in spiritu vini soluta* & *per aqueum liquorem excussa*, uti *lac virginum &c.* Tum & *metalla menstruis soluta*, varidque ex iisdem ratione præcipitata, in quibus tamen id non adeo exacte obtinet, quum præcipitationes plerumque tam manifestæ sint, ut post breve intervallum in fundo colligantur excussæ particulae, si excipias mortem per infusum aquosum adstringentis vegetabilis præcipitatum (§. LVI.); modo in atramenti generatione præcipitatio fit, quod nonnulli Chemicorum statuunt. Quamdiu in talibus liquoribus æquabilis viget solutio, tanta est diversarum materierum unio tamque intimus coalitus, ut in omnibus, etiam minimis particulis, eandem gravitatem specificam habeant. Simulac vero pars materiae componentis præcipitatur, h. e. vinculis attractionis liberatur, hæc non nisi proprio amplius agitata pondere, pro hujus proportione, aut sursum aut deorsum tendit; sed subinde, cum eo usque subtilitatis per antegressam solutionem divisa sit, ut aut gravitas aut apparens levitas singularum particularum non æquet momentum cohæsionis, quæ inter particulas liquoris viget, accidit, ut eluctari carceribus nequeant, retineanturque hinc in istritionibus. Quo in casu appetat facies homogenei liquoris, qui revera ex diversa materia, eaque non strictissime cohærente, nec ejusdem gravitatis specificæ, constat; cuius specificum pondus si velis juxta doctiorem illam methodum determinare, errorem quin committas, evitare non poteris: nam indissolutæ illæ particulae, licet revera leviores aut graviores sint, quam æquales homogenei, quo continentur, liquoris, ejusdem tamen ponderis videbuntur: neque vel major vel minor apparebit gravitas specifica, quam si penitus abessent. Ratio in eo est: quoniam, etiamsi ipsæ congregatae fluidum constituant, sic suspensa fluidi proprietates non exferant, sed tanquam minima solidæ, in liquore natantia, & agant, & considerari debeant. Dum

argilla

argilla in *aqua* emollita per agitationem subtiliter in ea distribuitur: inde gravitas specifica aquæ non augetur, neque actio, quæ ex ea pendet, quanquam, si de æquali volumine agatur aquæ puræ & aquæ argilla infectæ, hæc illa ponderosior sit necesse est: Hujus ergo gravitas specifica non poterit per immersum solidum definiri, quoniam eadem præcise apparitura foret, ac aquæ purioris. Idem eleganti observatione confirmatum accepi in re, in qua alias obscurius videri posset (§. LIV.). Cum enim liquori, ex una parte *spiritus citri* & partibus tribus *spiritus aceti* constanti, assusa fuerit una pars *spir. sal. am.* nata est momento temporis cum strepitu, fervore, atque caloris insigni augmentatione lactescens; neque hæc solum, sed vera etiam olei excussio in superficiem contigit. Extincto calore subtiliter trans oleum immisus est bulbus vitreus solidus in liquorem turbulenter lacteum, amisitque de suo pondere $105\frac{1}{2}$

grana. Mox strenue concutendo commistum est oleum in summo hærens cum reliquo liquore; & antequam se rursus extricari atque emergere potuerit, denuo captum accuratissime experimentum; quo constitit, eundem bulbum nihilo plus in hac mistura amisisse, quam ante in liquore sub oleo latente. Ex quo efficitur, particulas illas oleosas, licet specifice leviores, nullam mutationem specifico liquoris ponderi induxisse, quamvis per euui fatis æquabiliter distributæ fuerint. Quæ ratio? quod scilicet in eo non solutæ, quasi totidem minima solida, fluitarent. Si haec applicentur ad *attramenta*, ad *lac virginum*, ad *mixturas ex spiritu citri & aqua aut vino factas &c.* manifestum, puto, erit, in his omnibus non posse sine erroris periculo illam methodum gravitates specificas determinandi adhiberi; hinc experimenta cum ejusmodi liquoribus, ad hunc modum facta, non omni exceptione carere.

Praeter duo haec fluidorum genera nullum est, cuius specifica gravitas non possit ope immersi solidi quam accuratissime constitui; dummodo in constructione bulbi vitrei memoratae (§. LXXVI.) obseruentur cautelæ, & deinde ad hoc attendatur, ut *bulbus probe immersus æquabiliter undique ambiatur fluido*, neque parietes vasis, in quo pensio fit, contingat, sed liberamente buc illuc fluctuari queat: attractio enim, quæ inter corpora

viget, sensibilem exferens actionem, posset bulbo, dum partem contingit, lateralem velut directionem imprimere, & tantillum de momento ponderis abstrahere.

§. LXXVIII. Solidorum corporum ubi determinanda sunt gravitates specificae, majore etiam opus prudentia & curiosiore labore. Methodus autem una est eademque in omnibus, atque justissima, quam explanatam dedit Cel. s^r GRAVESANDE l. c. Nititur illa hac veritate: pondera corporum homogeneorum esse in ratione composita densitatum & voluminum; densitates proinde sequi proportionem ponderum per volumina divisorum. Propterea quæritur primo pondus solidi, in quo nulla difficultas; deinde investigatur voluminis magnitudo, & per numerum, qui hanc exprimit, illud dividitur. Sed ad hanc detegendam artificio opus est: non enim dimensio per pedem aut pollicem fieri potest, quae, nisi in corporibus regulariter figuratis, institui nequit: Eum in finem immergitur corpus solidum intra fluidum aliquod, cuius densitas cognita est, & quantum ponderis in eo amittere videatur, sedulo indagatur: demonstratum enim est, tantundem de suo pondere amittere, quantum sub aequali extensione pendet fluidum. Sic indirecta mensura volumen solidi definitur, per quod dum dividitur deinceps ejusdem pondus, densitatis gradus appareat.

Diversissima autem est solidorum corporum indoles, atque ad varia fluida diversus habitus: in aliis enim intacta velut & integra permanent, in aliis pro parte solvuntur, in aliis denique penitus disparent, & iis ipsis intime uniuntur. Ex quo manifestum est, debere delectum haberi fluidi, in quo solidum ponderandum est; neque huic scopo aptum esse ullum fluidum, quod vim habet, brevi tempore, vel minimam corpori particulam detrahendi. Quodsi enim aliqua voluminis immunitio fieret, uti per talem detractionem fieret necessario, penso fine manifesto errore non absolvvi posset: quippe corpora viderentur semper sub minori volumine plus massae corporeae continere, quam revera habent. Itaque oportet, antequam pensiones hydrostaticae solidorum rite perfici queant, praeoscere, quibusnam in fluidis indissoluta, saltem per brevius tempus, permaneant, atque haec sola illi muneri idonea sunt. Verum nec ea promiscue usurpanda, quae examinando solido nullam vim infe-

inferunt: nam vel inter haec discrepantia intercedit, ex supra dictis (§. LXXVI.) repetenda. Quo enim major est cohæsio inter particulas fluidi vigens, eo minus accurate solidum in illo immersum explorari poterit. Quare fluidissimum mobilissimumque lentioribus semper præstat. Quæ ratio est, cur *aqua simplex*, *pura*, ad omnia corpora solida, quorum non dissolvit compositionem, adhiberi & debeat & soleat: utpote quæ fluiditate & alacri particularum volubilitate omnibus aliis liquoribus antecellere videtur; ne dicam, quod eadem in se mollissima, nisi vi ignis acuatur, non ita multa corpora rapidius dissolvat. In ea tamen nequeunt impune tractari corpora quæcumque *salina*, quorum natura est, ut cito in aquis deliquescant; *saponacea* deinde, *gummosa*, *gummi-resinæ* & similia. In his igitur examinandis alio uti oportet fluido, quo ejusmodi corpora non solvantur; atque in primis opera danda est, ut ex pluribus, quæ apta sunt, illud feligatur, quod omnium minimo lentore & particularum tenacitate laboret. Unde factum est, ut, quum omnia *salium* genera hydrostaticce exploraremus, *oleo terebinthinæ* recenter destillato usi simus; quippe quod salibus nullam vim infert, cæterum reliquis vilioris pretii (atque ad hoc in primis etiam attendendum) oleis fluiditate præstat. Huic tamen præferendum forsitan subtilissimum *alcohol*; sed nisi omni omnino phlegmate orbum sit, tuto adhiberi nequit.

Neque tamen licet mobilissimum adhibetur fluidum, impediri potest, quin aliquis, in determinatione voluminis, error ex *cohæsione* oriatur; quod ex ante dictis facile intelligitur. Itaque in id incumbendum, ut ille, quantum fieri potest, immiuatur. Quem in finem bonum est, ut *ad pondus specificum firmi corporis* definiendum eligantur & *grandiores massulæ* & *compactiores*; ea tamen cum cautela, ut ne nimium inde onusta bilanx segnior evadat. Pensiones scilicet æque accuratae fieri possunt, five massulæ fuerint minores, five majores, sub dicta limitatione. Quodsi igitur in eas error quidam se irrebit, is semper minor erit, quo majus exploratae massæ pondus. Deinde compactior massula simulque grandior resistentiam, a cohaerendi facultate oriundam, facilius vincit, quam minor aut rærior, neque in eadem proportione ab illa afficitur. Hujus ergo

ergo artificii vi poterit erroris suspicio si non penitus deleri, saltem multum immuinui.

§. LXXIX. Atque utinam hæc sola esset aut præcipua in indagandis firmorum corporum voluminibus errandi causa! At longe plures sunt & efficaciores, quibus fit, ut in ponderibus specificis corporum ejusdem nominis, ejusdemque internæ compositionis, errans quædam inconstantia & insignes discrepantiae obseruentur. Quas inter primo loco memoranda est *inordinata superficie asperitas, angulorumque, lacunarum atque cavernularum irregularis frequentia*. His enim efficitur, ut fluidum, cui immergeitur tale corpus, non possit aequabiliter atque plene semet solido circumponere, omnesque tortuosos ductus explere. Nam partim angustiae impediunt, quo minus fluidum intra foveolas & sinus insinuare se possit; partim, & præcipue, obstat aér, qui implicatus lacunarum labyrintho adeo firmiter adhaerescit ad inaequalitates superficierum, ut vix ullo artificio inde pelli se patiatur. Hinc fit, ut majus fluidi volumen e loco pellatur, quam est explorandi corporis extensio; videaturque proinde solidum plus de suo pondere amittere, quam par est; adeoque specificè levius appareat necessum est. Hujus rei stupendum exemplum & notatu dignissimum obtulit nobis bona fortuna. Frustum *auri purissimi* per plures annos in balneo mercuriali relictum fuerat, ab eoque tandem vi ignis liberatum; unde asperum, angulosum, atque in compage sua quasi rarius, factum erat. Ponderavit hoc in aëre 141 $\frac{4}{5}$ grana; idemque in aqua pura, stillatitia, de suo pondere amisit 18 grana. Quodsi igitur pondus 141 $\frac{4}{5}$ dividatur per volumen 18, exsurgit densitas aequalis 7. 8777. At quanta à vero aberratio! Attamen quum optima methodo usi accuratissimisque instrumentis, id praeterea laboriose & anxie egerimus, ut omnes bullæ aëreæ de superficie removerentur, ac liberrimus aquæ introitus in omnes cavernulas pateficeret, absque dubio detectam illam gravitatem specificam pro vera habuissimus, nisi ex innumeris ante captis tentaminibus constiterit, eam, immagine quantum, a veritate abludere. Nam idem deinde frustum,

igne

igne liquefactum, recuperata velut naturali densitate, exhibuit gravitatem specificam 19, 5211.

Similes errores inducere potest *organica corporum construc^{tio}*, sive hæc a natura sive ab arte originem trahat. Figura enim prout variat in corpore, ita diversa ejus specifica apparent gravitas; & ponderissimum aurum si in globum cavum conformatur, effici potest, ut in levissimo liquore natet. Oportet igitur sollicite distinguere inter corpus, quatenus organicum h. e. certo modo fabrefactum, certisque mechanicis usibus destinatum; & idem corpus, quatenus ex singulari materie conflatum est: illius enim fere nunquam tanta, quanta hujus, subinde longe minor est, specifica gravitas. Quodsi ergo de materiae alicuius pondere specifico agatur, præstat semper, adhibere massam velut informem, quæ organici aut nihil aut perparum contineat.

Huc referri quoque potest *corporum nimium austra superficies*, quæ nonnunquam in caufsa est, cur, quæ ante fluido cuidam specificè erant graviora, eodem nunc leviora compareant. Manifesta res est in *sulphure*, quod, purissimum etiam, ubi in massulas grandiores compactum est, aqua specificè est ponderosius; quando vero in *flores* sublimatur, hi aquis inspersi superficiem tenent, neque trituratione ad descensum adigi possunt; qui ipsi si per fusionem lenissimo igne factam copulantur arctius, mox iterum, priore velut recuperato pondere, aquæ immisæ pessum eunt. Sic concordia res parvæ crescunt, discordia majores dilabuntur! Namque minimæ illæ particulæ, quarum collectio *flores sulphuris* constituit, nulla inter se cohærentes vi, licet singulæ ponderosiores sint, quam æquales aquæ particulæ, non tamen valent, superata aquearum particularum cohæsione, descendere, quo pondus trahit: quoniam harum cohærendi cupido illarum ponderi non cedit. Simulac vero plures particulæ strictiori colliguntur vinculo, enascitur massa, quæ in se fortassis ne quidem tam ponderosa est specificè, quam singulæ illæ particulæ erant, sed quæ ob collectas vires plus potentiae intra eosdem limites opponit cohaesioni illi, quo hæc superata cedit.

Ex quibus sequentes deduco *regulas*, prioribus (§. LXXVIII.) addendas, ut firmorum corporum volumina, adeoque & specificæ gravitates, correctius definiri queant:

I. Opus est, ut solida in statu maximæ compactionis, quam ex naturali sua compositione habere possunt, adhibeantur. Non volo ideo, ut densitas ipsa massæ artificio augeatur. Maneat hæc, quanta naturaliter esse solet. Dum de maxima compactione hic loquor, volo tantum id, operam dandam esse, ut exploranda massa sub extensione, qua limitatur, tantundem præcise materiae corporeae contineat, quantum ejus naturalis densitas requirit. Eum in finem

II. Auferatur, antequam pensio fiat, omne angulosum, lacunosum, foraminulentum, quod secundum naturam in illo corpore non exsistit.

III. Auferatur omne organicum & artificiosum; quo complector cavitates, strias, sulcos, fimbrias, lacinias, curvaturas, contortiones, quidquid denique ad externam duntaxat structuram, non ad ipsam materiem aut intrinsecam constructionem pertinet.

IV. Superficies ne admodum diducta sit, h. e. crassities ne sit minima respectu amplitudinis. Auri granum, in globulum solidum conformatum, gravitatem auri specificam fatis exacte monstrare poterit; at eadem quantitas, imo multum major, in laminam subtilem diducta nequaquam.

V. Hinc in corpore examinando affectetur figura minoris areæ, & superficies, quantum fieri potest, nitida atque glabra.

VI. Denique summa cura in id impendatur, ut bullæ aëreæ de corpore, in fluidum jamdum immerso, arcentur. Nam quemadmodum vesicae, aëre turgidae, natantem in aquis sustentant, dum leviorum velut reddunt: ita bullæ aëreæ corpori, dum pendentur, adhaerentes, efficiunt, ut specifice levius appareat, quam revera est. Atque per pulcrum spectaculum est, neque infrequens in hydrostatico solidorum examine, immerso intra fluidum corpore constitutoque aequilibrio, videre, prout una vel altera bullarum aërearum, quibus tanquam totidem gemmis resplendet asperior praesertim superficies, vel vi acta vel sponte discedit; ita praepodium majus & majus nasci a parte corporis examini expositi, ad eandemque sensim plus inclinari lingulam; quo delectatus subinde, faepius irritatus sum, quippe indicio nondum peracti operis.

Modus, quo bullæ aëris de superficie corporum arcentur,

hic

hic est: ut antequam fluido immittantur, primum probe laven-
tur ope ejusdem fluidi; deinde postquam immisla sunt, peni-
cillo strenue verrantur omnes superficies, atque mundentur ab
adhaerentibus bullulis, eo usque, donec oculus (potest autem
attentus ob splendorem etiam minimas cernere) nullas in omni
ambitu conspiciat. Neque opus est majore labore, si pri-
ores cautelae observatae fuerint. Ubi vero cum corporibus
rem habemus, quorum superficies scabra valde atque angulis
hispida est, quaeque aut proorsus nequeunt, aut difficulter in
commodioreni formam rediguntur: illa profecto non sufficiunt ad
evitandas fallacias. Igitur ad subtiliora configiendum artificia.
Eum in finem vel relinquendum est corpus per aliquod tempus
in liquore, ut is occasionem nanciscatur, scabritie superficie-
rum semet accommodandi, &c, quod subito non valet, sensim ex
anfractibus aërem pellat; vel fluidum cum immerso corpore
exponendum igni, ut hujus efficacia tenaces aëris bullae de
superficie separatae excutiantur. Periculum autem est, ne
fluidum, aut diuturnitate macerationis, aut facultate agendi per
calorem aucta, immerso corpori vim inferat, & vel intra poros
proprie dictos penetret, vel dissolutionem inchoët. Quare prae-
ferenda methodus est, qua idem citius praestatur & accuratius:
nempe vasculum fluido plenum, cui immisum examinan-
dum corpus, subjiciatur recipienti antliae pneumaticae, hujusque
ope extrahatur aër, quantum fieri potest, plenissime. Quo fa-
cto pensio absque erroris suspicione peragi poterit. Conf. quae
hac de re disputat *Jurinus, Medicus, in transact. philos. n. 309.*
pag. 223.

§. LXXX. Hactenus de pensionibus hydrostaticis rite insti-
tuendis. Nunc de mixtione quaedam dicenda (§. LXXIII.). Nam praeter exactam gravitatum specificarum determinationem
in omni experientia requiruntur haec duo: 1. *ut in omni com-
binatione æquabilissima fiat mixtio;* 2. *ut in mixto tantundem mas-
sa corporeæ sit, ac in miscendis simul suntis fuit.* Alterutrum si
ab sit, non certa sunt, quæ ex experimento proliciuntur, co-
rollaria. Difficile autem est in nonnullis casibus specialibus
utrumque præstare. Æquabilitas quidem mixtionis facile obti-
netur in omnibus corporibus, quæ se mutuo trahunt, solvun-
que intime; ut in combinationibus aquæ cum alcohole, cum om-
nibus

nibus spiritibus acidis, alcalinis, cum omnibus salibus &c. deinde acidorum cum alcobole, alcalicis, metallis, absorbentibus &c. ipsorum quoque metallorum cum metallis &c. At multa sunt corpora, quæ inter se misceri plane recusant; sunt, quæ æquabiliter misceri absque magna adhibita vi non possunt, cuiusmodi sunt olea & lixivia, olea & sulphur, Mercurius & sulphur &c. quæ ut justam subeant mixtionem, ignis violentia requiritur. Neque tamen ipse ignis æquabilitatem in mixtione semper producit; & si producat, alterum plerumque vitium inducit: dissipans quippe volatiliorem corporum partem efficit, ut non modo minus materiae corporeæ in mixto sit, quam comprehendebant ingredientia corpora, sed ut etiam eadem proportio non insit, quæ adhibita fuit. Quorum illud incertitudinem, hoc manifestos errores in tentamina invehit. Sit itaque lex: *ne unquam in his experimentis adhibeantur corpora, quæ aut omnino misceri non possunt, aut non æquabiliter, nisi vi tanti caloris, quo pars eorum vel destruatur vel dissipetur.*

Verum illa etiam corpora, quæ igne lenissimo coëunt, non omnia ita inter se misceri possunt, ut in mixto tantundem massæ corporeæ h. e. ponderis superfit, quantum in combinatis simul sumtis fuit. Cujus rei variæ sunt caussæ pro diverso unius corporis ad aliud habitu; docuitque observatio, imprimis esse sequentes:

1. *Calorem, qui subnascitur, dum frigida etiam nonnulla corpora inter se lenissime confunduntur, cuius vi pars subtilior corporum volatilis redditur.*
2. *Motum intestinum violentum, qui in mixtionibus quibusdam contingit, nulla caussa externa apparente. Effervescentiam vocare solent; sed non semper fervorem aut calorem comitem habet, frigida quippe subinde. Hoc motu sit, ut pars liquorum sub specie subtilissimæ pluviae ad notabilem plerumque altitudinem exutiatur, dum nimirum materies elastica, impetuose erumpens, resistentes particulas secum rapit.*
3. *Ambo isthac concurrentia frequentissime, calor scilicet & effervescentia.*
4. *Vim singularem, quam unum corpus in aliud exserit, unde sit, ut, dum unum alteri admiscetur, pars materiae unius in aurgis dif-*

diffletur. Qualis facultas inest v. g. oleo vitrioli respectu plurimorum salium, communis, nitroſi, ammoniaci, &c. In omnibus igitur mixtionibus, in quibus una vel altera harum cauſarum obtinet, summa opus est prudentia, ne fallaciæ in doctrinam nostram irrepant. Etenim diffata pars potest vim experimenti nonnunquam plane invertere; semper autem incertos nos reddit de eventu: quum magnitudo mutationis, quam mixto aſſert, nunquam fere determinari posſit. Potest equidem facili negotio cognosci, quanta fit dissipata particula: si post mixtionem rite perfectam ponderetur mixtum. Sed non ſufficit noſſe pondus ejus; cognita etiam re quireretur ejusdem densitas aut volumen. Si diffata pars ejusdem naturæ ejusdemque ponderis specifici foret, ac ſuperſtes: tunc profecto nihil erroris inde in experimentum proficiſci posſit. Qua autem ratione cognoscemus, hoc ita eſſe? Aut an credibile eſt, hoc unquam ita fieri? An potius erit ad alterutro corpore, quod altero volatilius forſan eſt? Et num de hoc integro? An de parte ejus ſubtiliore? Quibus queſo artificiis hæc detegemus? Poterit enim etiam de utroque participare, ſed non ea proportione, qua corpora miſcuimus. Quidquid ſit, quo tieſcunque accidit, ut inter miſcendum partis materiæ ex cauſa interna jactura ſit, toties dubium eſt experimentum, & plerumque falſa, nunquam ſaltem accurata, quaē inde deducuntur, corollaria. Quare oportet, in omnibus periculis, in quibus diſipationis vel minima ſuſpicio eſt, hac uti cautione: ut mixtum ponderetur; quo pateat, utrum omnis materies corporea, quaē fuit adhibita, ſuperſit, nec ne. Si notabilis amiſſa eſt quantitas, neque certo ſciamus, diſipatam partem eandem continere diverſarum materierum proportionem, ac ſuperſtes: nihil de experimento con cludendum eſt. Deinde ut prævertatur hoc incommodum, id agendum, ut primo corpora, quaē commixta vehementiorem aut motum aut calorem aut ambo fuſcipiunt, leniſſime partitiſque vici bus nec feſtinanter componantur, & in ejusmodi vasis, in quibus minima evaporatio atque excuſſio fieri poſſit; illa dein corpora, quaē ſibi mutuo vim iſferunt, quorum unum alteri admisceri nequit, quin mox partem materiæ corporeæ in auras pellat, aut proſrus non adhibenda, aut in vasis penitus clauſis miſcenda ſunt, quibus pars diffata coerceri atque examinari queat.

Cæterum & hoc quoad mixtionem observandum est: ut post mixtionem peractam massa per satis longum tempus quieta relinquatur, antequam ejus densitas exploretur; præsertim si de miscelis liquorum agitur. Neque enim sufficit, expectare, donec calor, sub mixtione auctus vel imminutus, ad communem corporum temperaturam redierit: nam ultra hunc terminum longissime aliquando se pretendere vim mixtionis, volumina mutandi, in exemplis manifeste vidimus (§. XXXVIII. XXXIX. XLV.).

§. LXXXI. Si, quæ hucusque exposuimus, tum quoad pensiones tum quoad miscelas (§. LXXIII — LXXX.), diligenter fuerint observata; adeoque proportio & densitates corporum miscendorum, ut & mixti densitas, subtiliter determinata: tum demum *calculus*, rite applicatus, voluminis factam mutationem certissime, accuratissime, indicat; circa quem quædam etiam animadvertenda. Duo nimirum modi sunt, quibus ex iis, quæ per experientiam cognovimus, computus fieri potest. Unus ille, quem supra (§. XIX.) explicuimus; alter, qui nitens ista veritate: pondera per densitates divisa exhibere volumina, ita absolvitur: primo pondera singulorum corporum per proprias densitates dividuntur; sic cognoscuntur volumina, quæ in summam collecta docent, quantum mixti debeat esse volumen, si mixtio nihil mutationis inferret; deinde pondus mixti, h. e. summa ponderum adhibitorum corporum, dividitur per densitatē mixti; sic innotescit, quantum revera post mixtionem volumen sit; quæ quantitas dum confertur cum summa voluminum commixtorum corporum, apparet facile, an, qualis, quanta voluminis mutatio facta sit. Posterior supputandi modulus maxime naturalis & intellectu facillimus est, eoque etiam principio usus sum; sed postea animadvertens, eum fallere interdum, prætuli priorem, qui, licet implicatior, securior tamen est & revera compendiosior. Scilicet posterior modus duplo plures, quam prior, divisiones requirit, antequam ad eandem cognitionem ducat. Quæ cum in se tædiofillimæ sint, calculo decimali in auxilium traxi, aliquantum expeditiores redunduntur. Verum ut calculus decimalis servetur æquabilis, neque alienis fractionibus interturbetur: negligi solent, quando in divisionibus ad certum terminum perventum est, superstites fractiones. Mihi, dum hoc supputandi modo uterer, terminus fuit

DE MIXTIONE VOLUMINA MUTANTE. 139

Suit linea cubica: Si enim volumen alicujus rei eo usque determinatum esset, ut non integra linea a vero deficeret, substitui, ne sesquipedales exsurgerent numeri. Quodsi ergo residua fractio major fuit, quam $\frac{1}{2}$, tantillo majus posui volumen, quam revera fuit; si minor, tantillo minus. Sic alias excessu, alias defectu, ob naturam calculi peccandum erat. Qui quidem error, in se spectatus, nullius est momenti; sed ubi deinceps, clarioris intellectus gratia, voluminis mutatio ad pedem cubicum elevatur, multiplicando crescit. Et quoniam non est in omnibus divisionibus aquabilis, sed nunc paullo plus, alias paullo minus complectitur: fieri potest, ut, dum eadem corpora diversis proportionibus miscentur, neque mutationes, voluminum, in miscelis factae, multum inter se differunt, nulla omnino discrepancia compareat, calculo ab una parte tantundem defectu peccante, quantum ab altera excessu. Cujus rei insigne exemplum præbuerunt supputationes experimentorum, quæ cum aqua & alcoholis mixtis instituimus. In primo eorum (§. XX.) aquæ grana 600, totidem alcoholis, inter se permixta sunt. Fuit ergo volumen aquæ $\approx 1238''$ (a), alcoholis $\approx 1507''$. Proinde

(a) Mirabitur forsan attentior Lector, qui fieri potuerit, ut dividendo pondus aquæ per suam densitatem cognovim, 600 gr. aquæ conficerem 1238 lineas cubicas. Dicam, quid factum sit: simplici enim divisione volumen per lineas determinari non potest. Cepimus eum in finem sequens experimentum: Cubum ex aurichalco affabre factum, cuius latius exacte aquabat tres pollices mensura rheno landica, ex una lance suspensum, ad equilibrium deduximus; deinde aqua distillata immisimus. In ea de suo pondere amittere videbatur 15 unc. 6 drach. 15 gr. Quo constitut, pedem cubicum rheno. aqua nostra pendere omnino 1010 uncias. Habet autem pes cubicus ex calculo decimali 100000 lineas cubicas. Proinde aqua grana 1000 volumine suo exæquant 20627 lin. cub. Qui ipse numerus exprimit semper volumina corporum in nostris tentaminibus occurrentium, si ponamus numeros, qui densitates eorum expriment, designare pondera eorundem in granis. Sic alcoholis gr. 8210 volumine adæquanti 20627 lineas cubicas (§. XX.). Sic olei vinioli gr. 18387 volumen totidem linearum conficiunt, (§. XXXVII.) & sic porro. His cognitis potuit facile per regulam proportionum, ex densitate & pondere alicujus corporis, ejusdem volumen constitui, assumto numero 20627 pro tertio termino. Ita v. g. cum aquæ gr. 1000 conficerent 20627 lineas cubicas, ejusdem gr. 600 efficerent 1238'', levi computo cognoscemus,

2111
S 2

inde si per mixtionem volumini nulla mutatio illata esset, volumen mixti debuisse aequaliter 2745''. Verum gravitas specifica mixti observata est \equiv o. 9292; unde patuit, ejus volumen fuisse tantum \equiv 2664''. Hinc conseqüebatur, evenisse per miscelam voluminis imminutionem, in pede cubico aequaliter 29, 508''. In exp. IV^{to} (§. XXIII.) aquæ gr. 813, alacobolis gr. 668, commista sunt. Ergo volumen aquæ \equiv 1677''; alacobolis \equiv 1678''; amborum simul \equiv 3355''; mixti vero duntaxat \equiv 3256'', cum ejus specifica gravitas esset \equiv o. 9381. Ex quibus per regulam proportionum deducebatur, voluminis imminutionem factam in pede cubico aequaliter 29, 508''. Hinc varias elicui conclusiones: primo quidem, proportionem aequalium voluminum dedisse eandem omnino condensationem, ac proportionem aequalium ponderum; deinde, latitudinem quandam esse maximæ penetrantis, nec proportionem, quæ eam exhibeat, unam & simpli- cem esse; & quæ sunt similia. Sed cum deinceps, confirmandi caussa, altero modo computos facerem, perfeci, illa non omni numero vera esse. Nam in exp. I. voluminis imminutio in pede cubico revera aequalabat 29, 595''; adeoque 87'', major est, quam ex priore calculo sequebatur. In exp. IV. autem vera imminutio fuit 29, 421''; hinc 87 lineis cubicis minor, quam prior supputatio indicabat. Sic ruebant haud pauca, quæ priori calculo fidens stabiliveram. Eapropter re- jecto illo supputandi modo, quippe fallaciarium non experti, alterum semper fecutus sum (§. XIX.), cuius ea est insoles- ut in elevatione mutationum voluminis ad pedem cubicum, si quando a vero abludit, non nisi paucissimis lineis abludat.

Has observationes (§. LXXIII — LXXXI.) disquisitioni nostræ subnectere, necessarium duxi, partim quia ipsis experientiis lucem afferunt, & ad methodi nostræ dignitatem & vim tuendam apprime faciunt, partim ne, qui posthac similia tentaturi sunt, in iis proprio marte addiscendis operam & tempus perdant.

F I N I S.

THESES.

I.

*Causa veri nominis, etiam libera, effectum necessarium
producit.*

II.

Sponite sua agere, non est libere agere.

III.

Hominis non nisi relativa libertas est.

IV.

*Essentia libertatis humanae non consistit in indiffer-
tentia.*

V.

Cogitatio non est ipsa mens.

VI.

Sine memoria nullum datur ratiocinium.

VII.

Sensus nos non fallunt.

VIII.

Individui omnia attributa sunt essentialia.

IX.

*Duae substantiae, quae non cogitant, nobis notae
sunt, spatum & corpus.*

X.

Genus non continet speciem, sed in ea continetur.

XI.

Materies est divisibilis in infinitum.

XII.

XII.

*Ex eo, quod dantur composita, non potest inferri;
dari simplicia seu monades.*

XIII.

Infinita diversa existunt, & alia concipiuntur animo.

XIV.

*Infiniti tamen nullius mens humana ideam adaequatam
habet aut effingere potest.*

XV.

Principium levitatis nullum est.

XVI.

*Natura fluidi non consistit in perpetuo particularum
constituentium motu.*

XVII.

*Pressio & vis sunt inter se incommensurabiles; pres-
sione tamen vis generatur.*

XVIII.

Propagatio motus luminis successiva est.

XIX.

Corruptio unius est generatio alterius.

XX.

*Parti cuiunque corporis vegetabilis vel animalis tam
parvae, ut vix microscopio conspici queat, vis pro-
ductiva sive generativa inest: tanta quidem ut ex
vegetabili generetur animal, ex animali planta, ex
planta hac rursus animal.*







